
DEO ET CÆSARI
FIDELIS
PERPETVO.
V
TI
NAM
NAM
TI
V
VESONTIO
CIVITAS IMPE=
RIALIS LIBERA
Sequanorum
Metropolis.
Petrus de Loy i Biſunt fecit
NAPOLI

L.IV.
I.
34 1

IOAN. IAC. CHIFFLETII
PATRICII, CONSVLARIS, ET
ARCHIATRI VESONTINI

VESONTIO
CIVITAS IMPERIALIS
LIBERA, SEQVANORVM
METROPOLIS,

PLVRIMIS, NEC VVLGARIBVS
Sacræ, Prophanæq; hiſtoriæ Monumentis illu-ſtrata, & in duas partes diſtincta.

LVGDVNI,
APVD CLAVDIVM CAYNE.

M. DC. XVIII.

Tit. Liuius Rom.hiſtor. Lib.I.

HOc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: Indè tibi, tuæq́; Reipublicæ, quod imitêre capias; Indè fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.

PIO,

PIO,

FELICI, ET INVICTO PRINCIPI, LEOPOLDO,

ARCHIDVCI AVSTRIAE; EPISCOpo Argentinenſi, & Paſſauienſi; Adminiſtratori Monaſteriorum Murbacenſis, & Lutrenſis; Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Vvirtembergæ; Landgrauio Alſatiæ; Comiti Tyrolis, &c.

S.

A*D Celſitudinem Tuam libellus hic adire diu pertimuit* (Sereniſſime Princeps) *timore depulſo tandem prodit, recurrente quod obſcuro ſcriptori dixiſſe fertur Apollonius; audiri ſi nollet, lateret; taceret, ſi nollet intelligi. Ego cum nihil magis, quàm audiri, & vbique terrarum intelligi velim: quid eſt, quod huius pagellas operis, morer*

diutius, tuóque(Inuictiſſime Leopolde*) Nomini non appendam? cuius domi, ac foris ſic enituit fortitudo, æquitas, magnificentia, & reliqua virtutum ornamenta, vt eorum, quæ maximè Principem decent, nihil in Te quiſquam deſideret. Hæc ipſa ſunt, per quæ mihi iniecta mens, vt chartas haſce meas Tibi Auguſtiſsimorum Cæſarum, Maximorum Regum, Celſiſsimorúmque Principum Conſanguineo, & Affini conſecrarem; perſuaſus ſi non vllo meo promerito, certè adductus incredibili ſtudio, quo Maiores Tui Veſontionem coluerunt, & tot honorum, dignitatúmque nominibus, quibus priuatam Chiffletiorum familiam ſibi eſſe deuinctiſsimam voluerunt: quod mihi offerendi, tibi admittendi non iniuſta, nec inefficax cauſa eſſe debet. Erit humanitatis tuæ conſuetæ, iſtud humanè excipere; vt Ciuitatis antiquiſsimæ, Sequanorum Metropolis, tibi nuper viſæ, quæ inter tot ſubiectas Imperio Ciuitates, & Reſpublicas, vna ſplendorem Imperij fouit in Galliis, vnáque cordi fuit, & amori Maioribus tuis, maior ad Celſitudinem Tuam notitia perueniat. Non tentaſſem profectò hoc adeò operoſum opus, niſi id me patriæ, & grauiſsimorum hominum familiarium*

meorum

meorum iteratis hortatibus debere cognouiſſem ex officio, & voluntate, quam T. C. confido fore non ingratam. Quippe abducebar eâ conſcientiâ, quòd à ſuſceptæ rei dignitate tãto diſtarem interuallo, nihil vt in me eſſet, quod eius negotij magnitudini reſponderet, vno excepto conatu: tanta hîc rerum copia, tanta antiquitas, vt omnia vix attingere, nedum perſtringere, aut complecti poßim. Feci nihilominus quod in me erat, vt magnis operis opus emergeret: propoſui ex infinitis ſat multa, eáque lectißima, ſi non magno cum apparatu ſermonis, certè multa cum veritate: non enim hic verba, ſed vera placent; non lepôres, & genuinæ Latinitatis affectata concinnitas, quam nec profiteor, nec etiam ſi poßim velim; ne potius iuueniles, & leues animos vèrborum lenociniis, quæ neglexi, quàm peritos rerum veritate, & multitudine, quam expetiui, morari videar. Nec eorum mihi ſapit conſilium, qui in hiſtorico dicendi genere vſitata contemnunt, venantur abſtruſa, inſueta mirantur, quæ nemini, aut paucis cognita adorant, vt plura in ſcholis legiſſe, plura domeſtico ſtudio notaſſe, glorioſuli videantur. Timuerim ego, ne ſi cum doctis tantùm agere videri velim, à nemine intelligar

telligar

telligar: ac in me iure illud quis torqueat, quod de Apaſio Tullius luſit, qui adeò non vulgariter, atque acutè perorarat, vt ex multis auditoribus doctiſſimis, ne vnus quidem, quid ſibi ipſe vellet, intelligeret, ne ipſe quidem. Satis placuero, ſi ſatis explicuero. Id mihi præcipuum fuerit in hoc opere, nihil vt è vulgi commentis, & mendaci famâ iactarem; ſed germanam rerum noſtrarum hiſtoriam, ex antiquiſſimis monumentis diligentiſſimè perluſtratis, atque inter ſeſe collatis erutam, puro ſtylo, ac ſimplici proponerem: quam non ideò patrio idiomati, ſed libero Latio dedi, vt Sequanicæ, immò & Gallicæ ditionis caueâ perruptâ, confinium limitibus ſuperatis, in liberum omnium nationum veluti Circum, ſub Tui Nominis amplitudine irrumperet, (Archidux Inuictiſſime *) tranſuolaret Rhenum, Alpium iuga, & Pyrenæos apices tranſcenderet, ac per aperta terrarum ſola, Tuum, & Veſontionis deferret Nomen, meamque & meorum in Te obſeruantiam ſingularem. Quod reliquum eſt, quoad queo Principis omniū beneuolentiſſimi, Dei Optimi Maximi, immortalem precor clementiam, vt illâ Te præcipuâ beneuolentiâ complectatur, quâ Patres ſemper*

tuos;

tuos: & fractis hoſtium ſceleratis conatibus, compreſſaq́; inuidorum maleuolentiâ, Tibi Te, ac Tuis fœlicem, inuictumq́; ſeruet: ac dum Magnarum Aquilarum, Maiorum Tuorum, generoſo volatu ſequêre tramites, ſeruabiſque eximiam illam in Deum, ac Superos pietatem, quam illi in Te, Tuoſq́; hæreditario quaſi iure tranſtulere; ille viciſſim Te in ſinu gerat, & iis, ad quos Te natura, virtuſque finxit honoribus, amplificet: Hoc volo, Hoc voueo,

SERENISSIMÆ CELSITVDINI TVÆ

Deuotiſſimus,
IOAN. IAC. CHIFFLETIVS.

Gentilitium Chiffletiorũ Inſigne, Caroli V. Cæſaris Inuictiſſimi Donum.



Crux operoſa, Draco vigilans, & circulus Anguis,
Æternum aſſiduâ nomen ab arte notant.

IOAN.

IOAN. IAC.

CHIFFLETIO,

NOBILI PATRICIO, CONSVLARI, ET ARCHIATRO VEſontino, Sereniſſimorum Principum Alberti, & Iſabellæ Archiducum Auſtriæ, apud Sequanos Medico Botanographo,

Gratulatoria Carmina.

VESONTIONIS PROLOGVS.

CELTICA Roma ego ſum: Phrygiâ me ſtruxit ab Idâ
 Gens, Veſontinum ducitur vnde genus.
Roma mihi geminis bis cedit origine ſæclis,
 Mœnia tam antiquâ ſunt mihi ſtructa manu.
Ante fui ſedes Següini regia, Brenni
 Quàm Capitolinum ſenſerit arma iugum.
Inter Sequanicas iam tunc munitior vrbes,
 Martis & armigeri iam ſtudioſa ſagi.
Nunc etiam reſtant æui monumenta prioris,
 Ruderibus latis plura ſepulta iacent.
Inclyta Barbarico ritu quæ Roma ſacrauit,
 In patriis colui Numina vana iugis.
Ecce triumphali ſum dudum ornatior arcu,
 Quem me ſublimi vertice ferre vides.
Sique habuit Campum Martis Roma vna, & arenas,
 Hæc mihi, Romæ vt ſis æmula, dixit habe.
Quin & aquæ ſupereſt ductus, per millia quinque,
 Ad mea qui quondam mœnia vexit aquas.
Plura habui, quorum quæ nunc corrupta ſuperſunt
 Nomina, ſplendoris ſunt monumenta mei.

Temporibus variis varias ſum paſſa ruinas,
Sæpe etiam inuidiæ pondere preſſa fui,
Non oppreſſa tamen, Superis hoc debeo, quorum
Prima habui ſanctâ templa locata manu.
Mirare & ſacri quæ cum velamine lini
Seruo ſalutiferis ſtigmata quina notis:
Hoc quondam auectum Solymæis pignus ab oris
Dæmones horreſcunt, orbis vterque colit.
Nam picturatum diuino emblemate corpus
Spectantum mentes lumináque ipſa rapit.
Sanguineâ quondam populus plaudebat arenâ,
Nunc prece, nunc lacrymis cultior aſtra petit.
Hæc mihi Cæſareis res eſt mage grata trophæis,
Gratior antiquâ res mihi Naumachiâ.
Nam quâ parte meas temerarat Pantheon arces,
Regnat, & in ſummo vertice Chriſtus ouat.
Huc properant, ſummo quos Gallia limite claudit,
Quos Arar, & Rhodanus, quos Ligeríſque colit.
Huc poſtremi hominum Morini, quoſque vbere terrâ
Rhenus habet, campis quoſque Moſella ſuis.
Nempe vbi diuini proſtant monumenta ſepulcri,
Funebris hæc Chriſto victima lecta cadit.
An poterat melius numen ditare Clientes,
Quàm ſi lina ſuo tincta cruore daret?
Romanas Aquilas nunc quæ ſequar vna cis Alpes
Sum, quamuis longis diſſita reſto locis.
Chryſopolis ſpatioſa viis, argentea lymphis,
Cœlo hilaris, laribus commoda, pulchra ſitu.
Me circùm vuiferos domito Veſontio colles,
Hæc à cœleſti numine dona tuli.
Sic ſtabo æternùm Chriſto duce, & auſpice Chriſto,
Tuta Deo, Florens Cæſare, Ciue potens.
Sint ſatis hæc, nam plura ſuo CHIFFLETIVS aucta
Ingenio, atque ſtylo liberiore dabit.

GASPAR DESPOTOTIVS, Authoris
Sororius, Fiſci Biſontini Aduocatus.

Faire parler les morts, c'eſt vn œuure admirable:
O le grand Medecin, qui cet œuure a tenté!
Le Medecin CHIFFLET *a fait choſe ſemblable,*
Par ſes eſcrits faiſant parler l'Antiquité.

FR. DORIVAL Chanoine de Beſançon,
Archidiacre dict de Luxeul.

Virtutem auorum conſequi, hoc heroicum eſt:
Odere degeneres Dij.
Patrum coronas facta, dum ſcientiam,
Geniúmque gentilitium habeſ.
Sic eſt eundum gloriæ ad apicem, hac viâ
Solida petitur æternitas.

Ioan. Bapt. *de Iouffroy*, Canon. Biſont.

Anagramma.

IOANNES IACOBVS CHIFFLETIVS.
HAS NVBES FATO FOELICI VINCIS.

Splendorem haud licuit patriæ periiſſe vetuſtum,
Nubibus obtectum ſed latuiſſe diu.
HAS NVBES FATO FOELICI VINCIS, & illi
Exoriens clarum reddis Apollo diem.

Petrus *de Dornon* Canon. S. Pauli.

Chiron Achillem ſtyrpium vires docet,
Macedonem Ariſtoteles φύσιν:
Tantus magiſtro vtrique diſcipulus fuit;
Chiron, Ariſtoteles mihi.

Petrus Iuhanus Præſbyter in D. Petri.

Cum diſperſa doces patriæ monumenta vetuſtæ,
In medium pandis quæ latuere priùs.
Priamidem inuictum ſuperas, cui puluere eodem

Cum patriâ æternùm dulce iacere ſuâ.
Nam tibi, qui patriam antiquo de puluere tollis,
Cum patriâ æternùm viuere dulce tuâ.

Claud. Cabetius I. C. Gubern. Biſont.

Quid ribi Chryſopolis ſupereſt? ſi vindice tanto
Quod fuit antiquum prodeat orbe decus.
Si delubra Deûm, Circi, Amphiteatra, forúmque,
Naumachia, & ſi quid ſanctius eſſe poteſt.
An ſatis eſſe putas, quod ſus concedit alumno,
Sola vt virtuti gloria ſufficiat?
Debentur tanto longè maiora labori,
Hæc dabit æternus poſteritatis amor.

Hugo Henricus I. C. Gubern. Biſont.

Æternum patriæ CHIFFLETI pandis honorem,
Non deerunt famæ munera grata tibi.
Namque boni Ciuis dabit ætas poſtera nomen,
Quique Magiſtratus munere functus erit.

Ioan. Nardinus Gubern. Biſont. affinis.

Antiqua tenebris patria deuictis, redux
Poſtliminio reuertitur.
Scilicet opus erat dextera hæc patriæ tua,
Sex digna centum Ciuicis.
Per te vetuſtum ſibi remiratur decus,
Iuuenémque ſe, medicâ manu.
Hoc eſt parentis eſſe filium ſuæ,
Hoc matris æternæ patrem.

Daniel *Cheuannay* I. C. Gubern. Biſont.

Chryſopoli primos CHIFFLETI reddis honores,
Quando vetuſta refers hæc monumenta Patrum.
Sic quoque in æternum tua laus antiqua manebit:
Nec mirum! ſolo viuitur ingenio.

Claud. Iugnot IIIIvir Primarius, affinis.

Iuppiter

Juppiter ſe changeant en Aigle,
Un homme emporta dans les Cieux:
Mon Couſin, par contraire reigle,
Emporte l'Aigle aux meſmes lieux.
Jean Bapt. Varin, Docteur és Droicts, ſieur d'Auldeux.

Veſontina tui gens vix erit immemor vnquam,
Quæ ſine te poſſet vix memor eſſe ſui.
Cl. Golluſius Salinarum Burgundiæ Iudex.

SONNET.

Ces Temples, ces Palais, ny ceſte Aigle Romaine,
Qui couure de ſon aiſle, vne grande Cité,
Ne font de Beſançon tant voir l'Antiquité,
Comme par ton labeur la preuue en eſt certaine.
Les marbres, les Porphyrs, ny l'induſtrie humaine
N'auoient eu le credit prés de l'eternité,
De pouuoir conſeruer leur premiere beauté,
Mais tu l'as redreſſé par ta plume, & ta peine.
C'eſt ainſin (ô CHIFFLET*) que par ce docte effort*
Tu affranchis ton nom des cendres de la mort:
Ainſi renouuellant ces antiques maſures,
I'y vois de tes ayeulx eſleuez les pourtraicts:
Car qui ne iugera, que tant & tant de traicts
De ton eſprit n'en ſoient les naïfues figures?
I. Terrier I. C. Veſoulois.

Quærere debueras aliquem toto orbe capacem,
O ſequanorum Maxima.
Qui quæ geſſiſti præclara domíque, foriſque
Ipſis ab incunabulis,

Scripto

Scripto, animóque pari, nullo corruptus amore,
Ad poſteros tranſmitteret.
Quæſiſti multis quadam præmortua ſæclis
Iam parte, nec repertus eſt.
Ergóne deſperas? poteras: ſed reſpice, Ciuis
Qui præſtet eſt CHIFFLETIVS.
Quare age, grata ſuo quantum Verona Catullo
Perſolue, ni plus debeas.

Io. Claud. Petremand Conſobrinus I. V. D.

Deo fidelis, atque amore Cæſarum
Domina tot annis Ciuitas,
Qualis fuiſti? at inuidens antiquitas
Sepelire quam hoc vellet decus;
Niſi gloriæ vindex tuæ CHIFFLETIVS,
Orbi tuum referens iubar,
Monumenta priſcis clauſa ſcriptis panderet,
Securus inuidiæ metu.
Auguſtus ille tibi (ô Veſontio) tuus
Sit, patriæ faciem ſuæ
Veteribus informem ruinis excolens,
Nouus aureæ vrbis conditor.

Io. Federicus *de Valimbert.* I. V. D. Affinis.

SONNET.

Jphigene pour faire aux ſiens vn bon office,
Qui n'euſſent peu ſans elle abandonner le port,
Conſtante en ſon amour autant comme en ſa mort,
Jadis ſur vn Autel ſeruit de ſacrifice.
Sceuole ne trouuant ſa main aſſez propice,
Pour d'vn tyran public exterminer l'effort,
La pert dedans le feu: Curce d'vn cœur plus fort
Pour ſauuer ſon païs meurt dans vn precipice.

Et

Et CHIFFLET *auiourd'huy deuenu immortel,*
Pour plaire à ſon païs reuit ſur vn Autel:
Sa main meurtrit l'oubly tyran inſatiable:
Pour ſon païs il entre en vn abiſme creux,
Mais il en ſçait ſortir: en cela admirable
Qu'il ne rend ſon païs qu'auec ſoy bien-heureux.

ANTOINE BRVN Dolois.

Non vt Pergama flamma vertit atrox,
Taygetus cineri hæret vt Lacæno,
Non vt Cecropiæ iacent Athenæ,
Sic Veſontio nobilis iacebis,
Vinci neſcia: fata non morantur
CHIFFLETI medicas manus, ruinæ
Te quin eripiat: labore vincet
An non Herculeum pio nepotem?

L. IANNETVS D. M.

Eia quid hoc monſtri eſt? vrbs aurea ſurgit ab aureo
Funere, & in Cœlum fert rediuiua caput.
At quî tantæ vrbis vernat vitale cadauer?
Quáve manu eſt phœnix, quæ fuit ante cinis?
CHIFFLETI medicâ reparabilis arte reſurgit
Chryſopolis, leto facta ſuperba ſuo.
Vrbs medico felix, Medice vrbis funere felix,
Vitam vrbi reddis, quam dabit ipſa tibi.

IO. GARINETVS D. M.

SONNET.

Apollon de tes patriots
Le ſeul ornement, & la gloire,
Et qui contre la Parque noire
Leur ſers d'aſile, & de repos.

Tu fais maintenant que ton los
Jlluſtré dedans ceſte hiſtoire
Viura au temple de memoire
Mille ſiecles apres tes os.
Mais il faut que la meſme plume,
Qui a graué dans ce volume
De Beſançon l'antiquité,
Te graue au cœur de noſtre Prince,
Comme Phœnix de ta Cité,
Et l'honneur de ceſte Prouince.

Cl. Moutenet Procur. Fiſcal à Salins.

Et Patriam ſcriptis, & Ciues arte tueris;
Ergo corona tibi Ciuica danda duplex.

Franc. Bichet Biſont.

Dicitur hæc magnorum inter conſortia Diuûm,
Saturno Momus verba dediſſe patri.
Chryſopoli nomen cur falx tua ſuſtulit aureum?
Vrbem non poteras inuidioſè ſenex.
Obſtant æterni ſiquidem monumenta decoris,
Impatienſque necis, gloria CHIFFLETII.

PHILIPPVS CHIFFLETIVS frater.

Apotheoſis Veſontionis.

Poëta. Cur tibi datus Veſontio in Cœlo locus?
Veſontio. Romæ eſt datus, cur non mihi?
P. Sed Roma dudum domina terrarum fuit.
V. Ego mihi captam ſubdidi.
P. At quis te Olympi vexit æternam in domum,
Pauóne, an armiger Iouis?
V. Neutrius alis eſt opus, CHIFFLETII.
Vbi ſola penna ſufficit.

LAVRENT. CHIFFLETIVS frater.

S'il eſt

S'il eſt vray que l'effect ſoit moindre que ſa cauſe,
Puis que d'vn premier vol l'Aigle laiſſe nos yeux,
C'eſt Autheur l'eſleuant, que dira-on ſi i'oſe
Aſſeurer que luy-meſme iroit bien dans les Cieux.

Iean Mauris Tiſſot Mathematicien Fran-Contois.

AVX ENVIEVX.

Oyſeaux de qui le vol, la voix & le plumage
N'eſt qu'vn bien emprunté;
Voſtre groſſier accent monſtre moins de courage,
Que de temerité.
En vain triſtes Hyboux voſtre plainte funeſte
Meſſagere du ſort,
Gemiſt ſur ces tombeaux, puis qu'vne Ame celeſte
En dechaſſe la mort.
Courbeaux qui croüaſſez autour de ce beau Cygne
De qui la douce vois,
Meurtriere de l'oubly ſemble vous donner ſigne,
De ſes derniers abois:
Ce n'eſt pas pour mourir, que d'vn ſi doux murmure,
Il va flattant les Cieux:
Mais à fin de tirer, hors de la ſepulture,
Vn Aigle glorieux.
Noirs bourdons qui troublez ceſt abeille odoreuſe,
Et iettant voſtre fiel,
Voudriez bien infecter ce que ſa ruche heureuſe
A de fleur & de miel:
Si n'ayant rien du voſtre, on vous oyt touſiours bruire
Autour des bons eſſains;
On vous meſpriſera d'auoir eu pour leur nuire
Des enuyeux deſſeins.
Therſites effrontez, dont la langue inciuile
Se plaiſt à deſpriſer;
Pour le moins ayez peur du poing de ceſt Achille
Qui vous peut eſcraſer.

Nicolas Paret Breſſan.

INDEX AVTHORVM.

AVTHORES QVOS SPARSIM IN *hoc opere laudamus, exponimus, aut emendamus.*

A

ABBAS Vrſpergenſis.
Acta SS. Martyrum.
Adamantius Martyr.
Ado Viennenſis.
Æneas Vicus.
Agellius.
G. Agricola.
Aimoinus.
Albertus Abbas Stadenſis.
Alcæus Poëta.
Albertus Crantzius.
Aldus Manutius.
Ammianus Marcellinus.
D. Ambroſius.
Anacreon.
Andreas *du Cheſne.*
Anſegiſus Abbas.
Anſelmus Monachus.
S. Antoninus.
Antoninus Auguſtus.
Appuleius.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Arnoldus *Vvion.*
Aſclepiodotus.
Athanaſius.
Athenæus.
Auſonius.
Author vitæ SSS. Felicis, Fortunati, & Achillæi.

B

Baccius.
Balduinus.
Baronius.
Beda.
Bellarminus.
Belleforeſtius.
Benedictus Leuita.
S. Bernardus Abbas Claræuallis.
Bernardus Abbas Bonæuallis.
Biblia ſacra.
Bibliotheca Cluniacenſis.
Bibliotheca Floriacenſis.
Bibliotheca Patrum.
Blancus.
Bocacius.
Bodinus.
Boguetius.
Bonfinius.
Boterus.
Bouillus.
Breuiarium Biſontinum.
Bruinus.
Budæus.
Bullengerus.
Bzouius.

C

Cæſar Dictator.
Camuzæus.
Capitolinus.

Caſſiodorus.
Cato.
Catullus.
Cl. Chiffletius.
Chopinus.
Chronica Auguſtenſis.
Chronicum Cluniacenſe.
Ciaconius.
Chronologia Heluetica.
Cicero.
Claudianus.
Claudius *de Rubys*.
S. Clemens Papa.
Cluuerius.
Coccius.
Cognatus.
Concilia varia.
Conſtantius.
Cornelius Celſus.

D

Dalechampius.
Damaſus Papa.
Demetrius Byſantius.
Demochares.
Dio.
Diodorus Siculus.
Diomedes.
Dionyſius Halycarnaſſeus.
Dodechinus.
Donatus.

E

Eginarthus.
Eraſmus Stella.
Eumenius.
Eunapius.
Euſebius Chronologus.

F

Phil. Ferrarius.
Feſtus.
Firmamenta Trium Ordinum S. Franciſci.
Flodoardus.
Florentius Monachus.
Florimundus *de Raimond*.
Florus.
Frontinus.
Fuluius Vrſinus.

G

Galenus.
Galeotus Martius.
Gaſpar Ens.
Gaſſarus.
Iac. Gaultherius. ſoc. IESV.
Gaufridus Abbas.
Gazetus.
Geſnerus.
Nic. Gillius.
Pet. Gillius.
Glaber.
Glareanus.
Gloſſæ Græcæ.
Godefridus Monachus.
Golthſius.
Goluſius.
Gorlæus.
Gregorius Magnus.
Gregorius Turonenſis.
Gregorius VII. Papa.
Gruterus.
Guilelmus *du Choul*.

Gutherius.

H

Herodianus.
Herodotus Ponticus
Heſiodus.
D. Hieronymus.
Hircius.
Homerus.
Honoratus Maſſilienſis,
Honterus.
Horatius.
Hotomanus.
Humbertus Mommoretanus.
Hyppolitus.

I

Iacobus *du Breul.*
Innocentius III. Papa.
Inſcriptiones veteres.
Ioannes III. Papa.
Ioannes VIII. Papa.
Ioannes à Boſco.
Ioannes *Herold.*
Ioannes Monachus.
Ioannes Sariſberienſis.
Ionas.
P. Iouius.
Iſidorus.
Steph. Iuliacus.
Iulianus Imp.
Iuriſconſulti veteres.
Iuuenalis.

L

Lactantius.
Lampridius.
Lazius.
Lenuclauius.
S. Leo Papa.
Le leuain du Caluiniſme.
Libellus officiorum Eccleſiæ Arelatenſis.
Liber Prouinciarum.
Ligurinus.
S. Linus.
Lipſius.
Liuius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucius Papa.
Lucretius.

M

Magius.
Marianus Scotus.
Marlianus.
Martialis.
Martyrologium Adonis.
Martyrologium Bedæ.
Martyrologium Romanum.
Martyrologium Vſuardi.
Marulus.
Mercurialis.
P. Merula.
Metaphraſtes.
Methodius.
Michael *ab Iſſelt.*
Michael Aitſingerus.
Minutius Felix.
Molanus.
Munſterus.
Myræus.

Nannius

INDEX AVTHORVM.

N

Nannius.
Nauclerus.
Nicephorus.
Nonius.
Notitia V. I.
Notitia Prouinciarũ Galliæ.
Nummi veteres.

O

Olahus.
Oliuerius *de la Marche*.
Onuphrius.
Oppianus.
Oribaſius.
Oroſius.
Ortelius.
Otho Friſingenſis.
Ouidius.

P

Pancirolus.
Panægiricus Flauienſium.
Paradinus.
D. Paulus.
Paulus Diaconus.
Pauſanias.
Perſius.
P. Petauius.
Petramellarius.
Petrus de Natalibus.
Petrus Damianus.
Petrus Venerabilis.
Philippus Bergomenſis.
Pierius.
Pinicianus.
Pithœus.
Plautus.
Plinius vterque.
Plutarchus.
Poldus.
Polybius.
Pomponius Sabinus.
Preces Biſontinæ.
Priſcianus.
Proclus.
Procopius.
Proſper.
Prudentius.
Ptolemæus Geographus.

Q

Quintilianus.

R

Radeuicus Friſingenſis.
Regino.
Rhenanus.
Robertus Cœnalis.
Robertus Monachus.
Rolliardus.
Roſerius.
Ruffinus.
Rupertus Tuitienſis.
Rutilius.
Rycquius.

S

Sabellicus.
Sacrarium Colonienſe.
San-Iulianus.
Sauaro.
Scaliger.
L. Schnaburgenſis.
Scribonius Largus.

Seneca

Seneca.
Serarius.
Seruius.
Seuertius.
Sextus Ruffus.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus.
Sigonius.
Simlerus.
Sixtus Senenſis.
Sleidanus.
Socrates.
Solinus.
Soſipater Chariſius.
Spartianus.
Stephanus Tornacenſis.
Strabo.
Stumpffius.
Suetonius.
Suidas.
Sulpitius.
Surius.
Symmachus.

T

Tacitus.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theophanes.
D. Thomas.
Tibullus.
Tillius.
Trebellius Pollio.
Trithemius.
Tullius Tyro.
Tyrius.

V

Vadianus.
Valaderius.
Varrerius.
Varro.
Vegetius.
Vibertus.
Vigenereus.
Vignierus.
Villanouanus.
Vincentius Barralis.
Vincentius de Caſtro-nouo.
Vinetus.
Virgilius.
Viterbienſis.
Vlpianus.
Volaterranus.
Vopiſcus.
Vrſtiſius.
Vſuardus.

X

Xiphilinus.

Z

Zozimus.

Opera Manuſcripta quibus in hoc libro vſi ſumus.

Membranei Codices lectionum Eccleſiaſticarum.

Codices Miſſales.
Codices Rituales.
Martyrologia.
Kalendaria.
Necrologia.
Chartularia.
Breuiaria.
Diplomata.
Chartæ veteres.
Inſcriptiones.

Ex Sacrariis, Cartophylaciis, Sepulchris:

Eccleſiarum Biſontinarum.
Eccleſiæ Lauſanenſis.
S. Claudij Iurenſis.
Palmenſis.
Ledonenſis.
Beſuenſis.
Bellæuallenſis.
Accincti.
Gollianæ.
S. Capellæ Diuionenſis.

Acceſſere:

Membraneus Codex MS. de Archiepiſcopis Biſont. noſter.
Acta Capituli Biſontini.
Diaria, ſiuè Chronica Biſontina Ciuicæ Domus.
Diplomata, Inſtrumenta, & Epiſtolæ Principum, ex Archiuo publico.
Notitia Beneficiorum Diœceſeos Biſontinæ.
Chronicum S. Benigni Diuionenſis.
Chronicum M S. Rerum Burgundicarum.
Acta M S. S. Deſiderij Epiſcopi Lingonenſis.
Libellus Prouinciarum. M S. noſter.

õ IN

INDEX CAPITVM,

PRIMÆ PARTIS.

Præfatio. *Operis occaſio, Patriæ Amor, honor, Exemplum maiorum.*

Caput I. *Galliæ Diuiſio: Celtæ Torquati, Equites: Sequanicus Equitatus: Nummi Equo ſignati.*

II. *Sequanorum Prouincia Gallicarum maxima: Sequani qui, & vndè dicti.*

III. *Sequanicæ Prouinciæ opes natiuæ.*

IV. *Dubis, Arar, Ligno, Danus, Lucinus, fluuij Sequanorum.*

V. *Sequanorum Salinæ: Thermæ Luxouianæ: Antra Quingiacum & gelidum.*

VI. *Maximæ Sequanorum præcipuæ Ciuitates & Caſtra: Veſontio Metropolis.*

VII. *Neotericorum de Veſontione teſtimonia: Simbolum vetus.*

VIII. *Veſontionis forma, ſitus, Portæ, temperies, horti, ædificia, Bibliothecæ.*

IX. *Templa Biſontina, & Religioſæ domus, notis Arithmeticis in Typo Veſontionis deſignatæ.*

X. *Veſontio à Troianis condita.*

XI. *Veſontio & Biſontium à Biſonte dicta.*

XII.

XII. *Varia Veſontionis & Biſontinorum apud Authores nomina; Et quare dicta Chryſopolis.*

XIII. *Veterum Biſontinorum Vana Numina: Columnæ quatuor: Pantheon: Idolium: vetera ſigilla.*

XIV. *Druydes Biſontinorum Sacerdotes: Eorum religio ab Imperatore Claudio abolita.*

XV. *Veterum locorum Diis, & Deabus apud Biſontinos olim conſecratorum Sequanica nomina cum Romanis collata.*

XVI. *Mons Cælius: Capitolium: forum: ſacra ſepta: templa: pauimenta: Gemmæ: Nummi varij.*

XVII. *Campi Martis, & Carnæ: Vici Romæ & Veneris.*

XVIII. *Portus Iani: Vici Caſtoris & Rheæ: Mons Brigillæ.*

XIX. *Vicus luæ: Mons Charitum: Campi Vulcani & Veſtæ.*

XX. *Mons Mercurij: Campus Muſarum: Collis Bacchi.*

XXI. *Montes Iouis, Termini, Delij & Vandalorum: Collis vel campus Neptuni.*

XXII. *Campi Pales, Mineruæ, Cereris, Iſis: Prata Pandæ vel Pandoræ.*

XXIII. *An Caij & Lucij Cæſarum, vel Caij Iulij Cæſaris lucus, an Collis lucinæ, Nemus Biſontinum: Collis Dianæ.*

XXIV. *De Monte Roris, vel Roſarum.*

XXV. *Mos Priſcus adorandi & ſacrificandi* Biſontino*rum: Inſtrumenta varia ad ſacra pertinentia: Antrum Sancaanum.*

XXVI. *De priſco funerum ritu: Campo nigro: Arcis ſepulchralibus, & cadaueribus armillatis.*

XXVII. *Epitaphia: Nummus* ΔΑΝΑΚΗ: *vaſa & vrnæ variæ.*

XXVIII. *Veſontio Municipium Romanum: ſcholæ Municipales.*

XXIX. *Veſontione olim Præſides, Tribuni, Præfecti, Conſules, Duumviri: Ritus Comitiorum: ſeptem Tribus: Magiſtratus: Nummi honorarij: Officia.*

XXX. *De Duce Sequanici, & Veteri Parma Biſontinorum.*

XXXI. *Gymnaſtica apud Biſontinos: Batualia: Campus Rotundus: Arenæ: Porta Troiæ.*

XXXII. *Aquæductus: Porta Sciſſa: Caſtellum aquarum: Naumachia: Fontes.*

XXXIII. *Seguinus Brenni ſocer Sequanorum Rex Veſontione: Brenni de Romanis Victoria.*

XXXIV. *Teutonum Reges à Sequanis in Alpibus capti.*

XXXV. *Inimicitiæ inter Æduos & Sequanos: Galli per Ariouiſtum fuſi ad Magetobriam: Cæſar occupat Veſontionem, & ſuperat Ariouiſtum.*

XXXVI. *Pagi Sequanorum vaſtati Tiberio Imperante: Inſignis Virginij Ruffi apud Veſontionem de Vindice victoria.*

XXXVII. *Veſontionis & Sequanorum ſub Othone, Vitellio, & Veſpaſiano Imppp. variæ clades.*

XXXVIII. *Antonini Auguſti de Veſontione teſtimonium: quid illi Epamanduodurum: An ibi celebratum*

tum Concilium Epaunenſe.

XXXIX. *Antonino Philoſopho, & L. Vero Imperatoribus poſitum à Veſontinis illuſtre monumentum.*

XL. *Cuinam Imperatorum Romanorum poſitus Veſontione Arcus Triumphalis, quem Portam Nigram vulgò vocant.*

XLI. *Cur Aureliano Imperatori poſitus credatur Arcus Biſontinus: Aureliani vita, & res geſtæ.*

XLII. *Arcus Aureliano poſiti ſingulæ partes explicantur, & eius Triumpho aptantur.*

XLIII. *An Biſontinis Arcum in ſua Ciuitate ponere Aureliano licuerit; & cur id effecerint.*

XLIV. *Arcus Triumphalis titulus deletus reſtituitur ex coniecturâ: Hoc Arcu Moneta olim Veſontione ſignata.*

XLV. *Ammianus Marcellinus Comès: Iulianus, & Gratianus Imperatores apud Veſontionem.*

XLVI. *Veſontio à Vandalis Croſco Duce fruſtrà bello tentata: Burgundionum in maximam Sequanorum ingreſſus.*

XLVII. *De Priſcâ Biſontinorum & Burgundionum proceritate.*

XLVIII. *Burgundionum ſigna militaria, Felis, Anguis, Crux Andreana; hæc vndè, vbì, qualis.*

XLIX. *Reſtituta veterum Burgundionum aurea Moneta, ex natiuo Galliarum metallo.*

L. *Attilæ Regis Hunnorum in Gallias irruptio; Moneta cuſa; Veſontionis excidium, & varij ſtatus.*

LI. *Veſontio ſub Francis Imperatoribus; Eius ad Imperium*

rium Germanicum tranſitus. Nuptiæ Henrici II. Jmp. Veſontione celebratæ.

LII. *Conuentus ſolemnes duo per Fridericum I. Veſontione indicti.*

LIII. *Joannes Comes Cabilonenſis protector Ciuitatis Biſontinæ.*

LIV. *Alphonſi & Richardi Regum Romanorum ad Ciues Biſontinos Epiſtolæ.*

LV. *Hugo Dux Burgundiæ Biſontinis Fœderatus.*

LVI. *Bella Biſontinorum cum Dominis de Ruffeio, & de Arguelo.*

LVII. *Otho Comes Burgundiæ Protector Ciuitatis Biſontinæ.*

LVIII. *Rudolphi I. Cæſaris tres ad Ciues Biſontinos Epiſtolæ.*

LIX. *Rudolphus I. Imperator Veſontionem obſidet.*

LX. *Biſontinorum pacta cum Hugone de Burgundia: huius cum Ioanne Cabilonenſi diſſidium.*

LXI. *Memorabilia Sæculis XIII. & XIV.*

LXII. *Biſontinorum Clades ad Malam-Combam, cum aliis ſcitu dignis.*

LXIII. *Res geſtæ Veſontione memorabiles ſæculis adhuc XIV. & XV.*

LXIV. *Orta Veſontione ſeditio, & eam ſubſecuta damna, ſub Friderico IV. Cæſare.*

LXV. *Bellum in Burgundia. Varia Biſontinorum Fœdera & Priuilegia.*

LXVI. *Hæreticorum ſubita irruptio: qui à Biſontinis habiti, ſub Maximiliano II. Imperatore.*

LXVII. *Excurſio Tremblecurij in Burgundiam. Obſidio Veſontionis per Henricum IV. Gall. Regem, Rudolpho II. Imperante.*

LXVIII. & vltimum. *Specimen lætitiæ publicæ actæ Veſontione, pro fælicibus Matthiæ Imperatoris auſpiciis.*

Tres Tabulæ grandiores reddendæ ſunt Parte primâ: & prior quidem Veſontionis Typus, inter paginas 36, & 37.

Secunda, quæ Arcum Triumphalem Aureliani integrum refert, 158, 159.

Tertia, quæ Arcum vtì nunc eſt, 168, 169.

Horatius 1. Epiſt. 6.

QVICQVID SVB TERRA EST IN APRICVM PROFERET ÆTAS.

VESONTIONIS
PARS PRIMA.
DE
CIVITATIS ORIGINE, NOMINE, formâ; Celticis ac Romanis Antiquitatibus; & ſtatu ſub Imperatoribus.

AD SENATVM POPVLVMQVE VESONTINVM,
PRÆFATIO.

Operis occaſio, Patriæ amor, honor, Exemplum maiorum.

LICEAT mihi de me quoque illud Tullij profiteri; *Non mihi ſoli natus ſum, ſed partem Patria, partem amici, partem Parentes ſibi vendicant.* Vobis, (*Ciues Amantiſſimi*) veſtro tuendo nomini, antiquitati, ſplendori hoc opus aſſurgit, vt qui Ciuitatis veſtræ dignitati quoquo modo derogarunt, ni fœdâ inuidiæ lue in-

fecti arguantur, certè leues ſeſe fateantur, atque imperitos. Vobis verò imprimis, (*Magnifici Domini Gubernatores*) penes quos ſtat Res omnis publica, vt veſtrarum ſedium, dignitatum, officiorum majeſtatem à maioribus noſtris ad vos vſque propagatam tueamini, conſeruetis, amplificetis. Et hanc quidem opellam meam hoc lubentiori animo debetis accipere, quòd me ad hos labores etiam maiorum exemplo ſcitis impulſum, qui mihi cum vitæ munere, bene affectum in Patriam animum ingenerarunt; ſic decuit *Scipionem* à *Paulo*, bonum ciuem à bono ciue procreari, feraci ex trunco feracem ſurculum germinare. Nihil enim aliud ſuperſtites Aui, Patríſque cineres videntur obteſtari, quàm vt nè ſuperſtitem in ciuium animis benefactorum memoriam patiar exoleſcere, quorum Auus quidem *Laurentius*, poſt adminiſtratum anno 1536. in Academia Dolana *Magnifici Rectoris* officium, anno 1540. IIII-*vir*, tum etiam *Aduocatus fiſci* declaratus eſt. His ille perfunctus honoribus, pro Ciuitatis negotiis in *Belgium* anno 1541. dein rurſus anno 1543. à Senatu miſſus eſt, vbi tale prudentis viri, & boni Ciuis edidit exemplar, vt anno 1548. *Vvormaciam* & *Spiram*, & anno 1554. *Spiram* iterum pro iiſdem cauſis meruerit delegari. Illum ideò XXVIII virorum gratia, Illuſtriorum amor, & in Rempublicam officia, ad *Gubernatoris* dignitatem euexerunt. Nihil commentitium loquor; Annales veſtri teſtantur, quos in manibus quotidiè habetis. Quin & Inuictiſſimi

ctiſſimi Principes Carolus V. & Philippus II. eius filius videntur vobiſcum in talis Ciuis gloriam concurriſſe, cùm perſpectâ eius in Curiis Germaniæ & Belgarum virtute, ille quidem *S. R. Imperij Comitem Palatinum, & Conſiliarium* fecit, hic in Dolanâ Curiâ *Senatorio munere* inſigniuit, in quo (vt ſepulchro eius inſcriptum eſt) *Bene geſtâ Republicâ, exemplis inluſtratâ, ſtudiis cultâ, liberis auctâ, inuidiâ bonis artibus partâ, delatoribus fractis, benè ſemper ſibi conſcius, mortalitatem placidè exuens, ſtudiorum gloriam ſuis, deſiderium bonis reliquit.*

Hoc poſtmodum ſublato filius eius *Ioannes* Pater meus, quem ille naſcentem Patriæ deuouerat, publicæ valetudinis curâ ſuſceptâ ita Patriam amplexatus eſt, vt nè ampliſſimis quidem exterarum gentium præmiis potuerit ab eâ diuelli. Notum ſatis eſt oblatam illi à *Franciſco Contareno* pro Sereniſſimâ Venetorum Repub. ad HENRICVM IIII. Galliarum Regem *Exlegato*, primariam Pataui Medicæ lectionis profeſſionem cum numeroſo ſtipendio; notum inquam eſt ab eo recuſatam, vt ſuæ Veſontioni, ſuíſque ciuibus perpetuò adhæreret, qui iam illum IIIIvirum, & ſummi Magiſtratus compotem dudum fecerant.

Me quoque ſtrato à maioribus itineri pro viribus inſiſtentem *Archiatrum* veſtræ ciuitatis diplomate declaraſtis, atque omnibus Reipubl. veſtræ honoribus fungi voluiſtis, etiam reluctantem; non quòd maximo me à vobis honore decoratum non agnoſcerem, ſed quia iampridem ſciebam verum

illud eſſe, quod Imp. Theodoſio Symmachus Præfectus vrbis olim ſcripſit, *Amabile eſſe præeſſe ciuibus, ſed placere difficile.*

Horum beneficiorum non immemor, ſi decus veſtrum cum Patriæ laude, ſcriptis ab interitu vindicare conatus ſum, boni conſuletis, cùm nihil mihi dulcius ſit, neque antiquius, quàm cum Patria fieri immortalem. Ad hoc enim me Parentes genuerũt, fortuna ſeruauit, & ſapientia veſtra cohortata eſt.

Veſtrum eſt igitur (*Ornatiſſimi & Chariſſimi Ciues*) hæcce veſtra, quæ ex monumentis fide digniſſimis non exiguo labore, ſexennij ſucciſiuis horis, conſcripſi, fouere, & ab imperitorum dicteriis tueri, qui, quòd antiqua, nummos, lapides, bibliothecas, rem ſacram eſſe non videant, importunè ſtudioſis obtrudere ſolent, *ad quid nummi veteres, ſtatuæ, marmora?* Criticorum etiam, atque Ariſtarchorum, qui cùm bonis inuideant, extollant improbos, vetera oderint, nouis oblectentur, pacis denique impatientes turbis alantur, ac ſeditionibus, nihil non mordent, & lacerant maleuolo dente: Qui quidem peruelim, ſi nihil aliud, hoc certè vnum ex Philoſopho apud me repetant, *illum pluribus abundare virtutibus, qui alienas amat.* Bene valete.

GALLIÆ DIVISIO: CELTÆ Torquati, Equites: Sequanicus Equitatus: Nummi Equo ſignati.

CAPVT I.

CVM priſca illa, beatáque vigerent ſæcula, quibus quidem (ſic enim liceat cum Poëtis fabulari)

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo;

tunc ætas aurea, nec vllus armis, aut bello locus;

Necdum etiam audierant inflari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes:

Suo quiſque Genio viuebat, & ingenio, quovſque omnium procreatrix malorum, legúmque & iuris violatrix regnandi cupiditas hominum animos inuaſit, & *——deterior paulatim, ac decolor ætas,*

Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi.

Hinc diuiſus orbis in varias ditiones; *Gallia* Europæ pars ex præcipuis vna, in *Aquitanicam*, *Belgicam*, & *Celticam* partita, Iulio Cæſari lib.1. de bello Gall. *Celtica* (vt notat Remundus Marlianus) *Gallia olim à Romanis dicebatur, quæ Veſontinam, Senonenſem, Bituricenſem, Lugdunenſem, Ciuitates Metropolicas, earúmque ſuffraganeas omnes, inter Garumnam, Matronam, Sequanam, & Rhodanum flumina ſitas complectebatur:* Huius incolæ autoribus modò *Galli*, modò *Celtæ* dicti; à

Græcis etiam mutuato nomine, *Galatas* vocarunt Ammianus Marcellinus, lib. 15. & Strabo geograph. lib. 4. *quia ſunt albi corpore*, ait Diodorus Siculus lib. 6. c. 9. Hinc lactea ipſis colla tribuit Virgil. Æneid. 8.

Aurea cæſaries illis, atque aurea veſtis
Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur;

hoc eſt *Torquibus aureis*, quæ cùm eſſent equitum propriæ, Celtis meritò tribuebantur, qui maximè valebant Equitatu, optiméque norant equos

-----docere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos,

ipſis etiam Mauris in hoc genere exercitationis valentiores, Hircio teſte de bello Africo; *Accidit* (inquit) *res incredibilis, vt equites minùs triginta Galli, Maurorum equitum duo millia loco pellerent, refugaréntque in oppidum.* Et Cæſar lib. 6. primum à Druydibus ordinem dignitatis Gallorum equitibus tribuit.

Sequani quoque (gens noſtra) equos ea regebant induſtria, vt *Sequanicus equitatus* præ cæteris laudaretur, vnde iure cecinit Lucanus lib. 1.

Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis.

Suos idcircò nummos Celtæ (inter quos *Sequani* pecunia maximè dites erant, necnon etiam *Ædui*, vt author eſt Tacitus) equo plerunque ſignarunt, vt in aureis, & argenteis hiſce meis apparet, quos è terræ Sequanicæ ſinu ætas in apricum protulit.

Hi



Hi Burgundicos, Gothicos, & alios Germanicos (de quibus ſuo loco) elegantiâ cælaturæ vincunt, ſed à Romanis longè ſuperantur, inter vtroſque medij; quos nobiliſſimæ, ditiſſimæque Celtarum genti primâ fronte reſtituet, quicumque veteres eius glorias cognouerit, in cuius hiſtoriis nihil huiuſmodi nominibus in x. terminatis frequentius, qualia ſunt apud Cæſarem; *Ambiorix, Eporedorix, Ver cingentorix*, &c. *Alduouorix* & *Audebrocirix* in vetuſtis lapidibus. Romæ.

D. M.
PLOCVSAE SVAE 815.10.
ALDVOVORIX
AVTV. COL. VIC.
SEQVAN.

Viennæ Allobrogum.

●:1. 2.

D. M.
POMPEIÆ COC
CAE. ◆. ANDEBRO
CIRIGIS. ◆. SE
QVANAE.

Atque ſi libri Varronis *de bello Sequanico* (quos citat Priſcianus lib.10.) aliíque plurimi, qui variis bellis,& incendiis periere,perueniſſent ad nos; non dubium, quin iſti noſtri *Cantorix* & *Durnorex* (niſi fortè hic *Dumnorix* eſt Diuitiaci Ædui frater, *qui largitione apud Sequanos plurimum poterat)* multíque Duces, & Principes, quorũ nomina nummis impreſſa ſub terra deliteſcunt,frequenter occurrerent. Cur verò tam multi huiuſmodi nummi in Veſontionis, & Epamanduoduri collibus, incultíſque locis ſepulti maceriis, & ruderibus reperiantur, habe ex Diodoro loc. cit. *Priuati aliquid etiam & mirabile ſuperiores Celtæ in Deorum templis obſeruant, vt in ſacris, templiſque plurimum auri Diis oblatum ſpargant, neque illud incolarum quiſquam, quamuis gens auri ſit valdè auida, propter religionem audet contingere.* Ex quibus vel maximè colligas, tot ſæculis ſparſos, & intactos nummos,perire omnes haud potuiſſe, imò poſſe quotidiè in Celtarum veterum ſolo fodientibus occurrere,quos antiquitatis externæ admiratores, & domeſticæ contemptores huc vſque neglexerũt; Nos antiquiſſimæ noſtræ genti, quod ſuum eſt, iure reſtituimus.

SEQVA

SEQVANORVM PROVINCIA Gallicarum maxima: Sequani qui, & vnde dicti.

CAPVT II.

GALLIA omnis tripartita Iulio Cæſari, in plures poſtea diuiſa fuit Prouincias, vt ex Ammiano lib. 15. itémque Antonino Auguſto in itinerario colligere eſt; necnon Sexto Ruffo in Breuiario, qui octodecim enumerat; & libro notitiæ Imperij Romani, qui ſeptemdecim tantum, ſub diſpoſitione vicarij ſeptem prouinciarum, quæ ſunt:

1 *Viennenſis.*
2 *Lugdunenſis.*
3 *Germania prima.*
4 *Germania ſecunda.*
5 *Belgica prima.*
6 *Belgica ſecunda.*
7 *Alpium Maritimarum.*
8 *Alpium Pœninarum.*
9 *Maxima Sequanorum.*
10 *Aquitania prima.*
11 *Aquitania ſecunda.*
12 *Nouem populorum.*
13 *Narbonenſis prima.*
14 *Narbonenſis ſecunda.*
15 *Lugdunenſis ſecunda.*
16 *Lugdunenſis tertia.*
17 *Lugdunenſis Senonia.*

Inter has prima, & præcipua fuit Sequanorum, proptereáque *Maxima* ab omnibus dicta (licèt, ſecundùm aliquos, à *Clemente Maximo Tyranno*, qui anno Chriſti 383. Theodoſij Magni quinto, in Britanniâ, & Galliâ Tyrannidem arripuit, *Maximam* dictam

non ignorem) vndè *Sequani* ſæpè apud priſcos autores pro omnibus Celtis accipiuntur; Quos autem Polybius *Celtas*, Liuius vbique *Gallos* appellat: hinc pro *Gallica veſte*, Sequanicam videtur dixiſſe Martialis lib. 4.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet;
Sordida, ſed gelido non aſpernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus Endromida.

Sequanorum maxima prouincia *complectebatur*, (inquit Rhenanus, lib.1. rer. Germanic. cap. 5.) *Sequanos interiores, Heluetios, Rauracos, Sequanos exteriores, ſiue Ciſmontanos; aut, vt ſummatim dicam, totam Diœceſim Baſileenſem, hoc eſt Sungauiam, & loca Colmariæ vicina, vſque ad foſſam illam terminalem Eccembachij riui, vbi confinium eſt Maximæ Sequanorum, & tractus Argentoratenſis, vno ſupra Seleſtadium milliario; Hinc Iulius Cæſar ſcribit Rhenum fluere per fines Sequanorum, & idem in Sequanis cum Arioniſto conflixit, quæ pugna ad D. Apollinaris facta putatur, qui locus milliario tantùm Germanico à Rheno, & Baſilea diſtat.* Hanc prouinciæ latitudinem ſatis indicat Archiepiſcopalis Diœceſis Veſontina; nam Romæ veteris externam ditionem Eccleſiaſtica eſt æmulata, vt multis exemplis comprobat idem Rhenanus; & Lucius Papa apud Gratianum diſtinct. 80. *Vrbes*, inquit, *& loca, in quibus primates præſidere debent, non à modernis, ſed multis antè aduentum Chriſti ſtatutæ ſunt temporibus;* Antiqua enim vox eſt *Diœceſis*, quæ diſtrictus præfecturæ Prætorianæ Ro

næ Romanis vocabatur. Ea voce vſi ſunt Marcellinus lib. 17. & Tullius multis in locis.

Vt igitur olim Sequani Veſontionem caput habebant, & Veſontinorum Præſidem agnoſcebant, ſic hodie tota Baſileenſis Diœceſis, Lauſanenſis, & Bellicenſis, quantum ad Eccleſiaſticum Imperium attinet, Archiepiſcopum Biſontinum agnoſcunt. Nunc ſolis Burgundiæ ſuperioris incolis, nobile *Sequanorum* remanſit nomen, non ab Hebræis, qui *habitatores* vertunt; non à Græcis, quibus σηκὸς *delubrum* ſignificat; neque à fluuio Sequana, qui nec fluit, nec oritur in Sequanico deriuatum; ſed à *Sequana* fonte (vt quibuſdam placet) in monte Iurâ, vulgò *Seine*, vbi populoſus pagus *Fonſſine*, cuius incolæ *Fonſſeniers* nuncupantur; qui pixides abietinas, arculas, cunas, & id genus per vniuerſam Galliam diſtrahunt, & diuenditant, non ſine luculento quæſtu.

Hi *Sequani*, ſiue (vt in vetuſtis Auſonij exemplaribus legiſſe ſe dicit Ælias Vinetus commentar. in lib. 3. Luc. Annæi) *Secani*, Celticam Galliæ partem incolebant, quæ Veſontinam Ciuitatem Metropolim habebat, Straboni σηκουανοὶ, Ptolemæo σηκανοὶ, in antiquis inſcriptionibus *Sequani*, vt in hac Lugduni reperta.

425. 1. Q. IVLIO. SEVERINO
SEQVANO. OMNIBVS
HONORIBVS. IN
TER. SVOS. FVNCTO
PATRONO. SPLENDI
DISSIMI. CORPORIS
Ñ. RHODANICOR. ET
ARAR. CVI. OB. INNOC.
MORVM. ORDO. CIVI
TATIS. SVÆ. BIS. STATVAS
DECREVIT. INQVISITORI
GALLIARVM. TRES
PROVINCIÆ. GALL.

Tullius etiam, & Cæſar *Sequanos* vocant, de quibus hic multis in locis, in quæ ſic Remundus Marlianus: *Sequani populi inter Celtas, hodiè Burgundiæ Comitatum incolentes, quos à Galliâ prouinciâ Romanorum Rhodanus fluuius diuidebat, finitimi Heluetiis, Æduis, Lingonibus, & Rheno, per fines Comitatus nunc Ferretenſis; nihil vt videtur de iis, quæ in Ducatu Burgundiæ ſunt, tunc poſſidentes, quod illa omnia ſpeciali nomine Æduis, & Lingonibus aſcriberentur, nec illi dicerentur Sequani, ſed hi ſolùm, qui à Rhodano propè Bellicenſis vrbis Diæceſim, vſque ad Veſontionem Ciuitatem Maximam Sequanorum, & ab indè vſque ad fines Comitatus Ferretenſis, ac Diœceſis Argentinæ, Rhenúmque fluuium protendebantur; inter quos*

fluuios

fluuios Rhodani & Rheni, per Ciuitatem illam Veſontionem, quæ quaſi in medio eſt, quinque dierum iter expedito patet finibus iiſdem: vltrà quoque Ararim fluuium, non longè poſt eius ortum, Sequanorum fines, quos ipſa Veſontina Diœceſis complectitur, protendi videbantur.

SEQVANICÆ PROVINCIÆ opes natiuæ.

CAPVT III.

IVLII Cæſaris teſtimonio, *Sequanicus ager erat optimus totius Galliæ*: Herclè optimus, cùm adhuc hodiè rerum omnium ſit fœcundiſſima noſtra Burgundia, *nec vlla ſit* (vt ait Paradinus) *quacúmque patent fines Galliarum, prouincia, quæ vicinarum operâ minus indigeat; Huius fertilitatem* (inquit Ortelius in theatro orbis terrarum) *haud facilè quis dixerit; ita enim in omni genere frugum, fœcunda eſt, vt ſemper viliſſimo pretio frumenta, vina, olea, ibidem veneant; Carnibus, & omnibus ad victum neceſſariis ſuperabundat, ita vt altera Italia ſitu, aëris amœnitate, & ſalubritate videatur: hominum proceritas, & corporum pulchritudo omnibus nota eſt, nec minùs apud omnes eorum virtus clara eſt.* Ioannes Boterus in ſuis relationibus Italicè ſcriptis *Compendium Franciæ* vocat; & iure: nam præter omnis generis animalia, & plantas, mirum quantùm marmorum, quantùm metallo-

rum: Marmor rubrum variegatum effoditur in pago *Sampanio*; nigrum propè *Polichnium*; candidum ad *Sanctum Lauthenum*, ex quibus aræ, columnæ, & Magnatum epitaphia fiunt. Sepulchra Ducum Burgundiæ apud Chartuſianos Diuionenſes, & ſtatuæ mirabiles apud Franciſcanos Ledonenſes ex his creduntur eſſe concinnatæ, aliorúmque Principum monumenta in Eccleſiis Biſontinis, & liberi Comitatus cœnobiis. Metalla ignobiliora, vti ferrum,& æs,copioſiſſima ſunt; illud vbique fermè,hoc propè *Caſtrum Lamberti* in Vogeſi montis appendicibus Lotharingiæ proximis, vbi argentum quoque reperitur, ſed rarius. Stirpium verò generis omnis Sequanicum ſolum eſt feraciſſimum,prætcrquam marinarum; habet enim frugiferos agros, herboſa prata, ſyluas denſas, vitiferos colles (in quibus vinum enaſcitur generoſiſſimum.) Iuram denique plantis rariſſimis refertum, ex quibus tutiora depromi poſſent ad morborum, qui Burgundiones infeſtant, medelam remedia, quàm à pharmacis Sinenſibus, & Americanis toto cœlo ab eorum temperamento diſtantibus: Certiſſimum enim eſt, quòd benigna rerum omnium parens Natura, vbi poſuit morbos, ibi produxit etiam remedia.

Reperiuntur hîc ſpontè naſcentes Catharcticæ; Cephalicæ, & Cardiacæ non deſunt; abundant vtiles ventriculo, lieni, & hepati; Nephriticis, Arthriticæ, & vulnerariæ vbique occurrunt; Tamen eò proceſſit hominum noſtrorum incuria, vt neglectis reme

remediis inquilinis, peregrinis, nouiſque delectentur, cùm nihil magis nouum ſit ipſis, quàm domi natum, quia incognitum, notiſſimum peritis. Nos de his omnibus (vt Botanographi munus à Sereniſſimis Principibus *Alberto* & *Iſabella* Archiducibus Auſtriæ, Belgarum & Burgundionum Dominis Diplomate nobis commiſſum exequamur) *ſicilimenta* ſucciſiuis horis paramus, ad quæ colligenda nos primus impulit conſummatæ peritiæ Archiater *D. Andreas Treuiſius*, qui prædictis Principibus,

Εἷς ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων;

Vnus vir medicus multorum millibus eſt par.

DVBIS, ARAR, LIGNO, DANVS, *Lucinus, Fluuij Sequanorum.*

CAPVT IV.

De Dubis Veſontionem alluentis, & *quaſi circino* (vt ait Cæſar) *circumductum penè totum oppidum cingentis* nomine, maximâ corruptionem apud auctores inuenio. Commentariorum Cæſaris editio Lutetiana Roberti Stephani *Alduaſdubim* legit; Lugdunenſes duæ Gryphij, & Frellonij, *Alduaſdalim*; Codex Fuluij Vrſini *Alduabim*; Marliani *Alduaduſium*; Sabellicus lib. 5. Enneadis 6. *Alduaſiũ*; Sleidanus, & Bocatius de Fluminibus; *Alduaſdulim*; Strabo Geograph. lib. 4. Δοῦβιν interpres eius *Dubidem*; Radeuicus Friſingenſis

ſingenſis lib.5.cap.8. *Toubam*; Ptolemæus etiam *δοῦβιν*, Iulianus in epiſtolis *δάνουβιν*, Ionas in vita S. Columbani *Doüam*; Auctor vitæ S. Antidij *Duuium*; Ligurinus lib.5. *Dubium*; iure ſanè, in cuius quippe nomine non leuis dubitatio; à quâ vt me expediam, ſtatuo breuiter Flumen noſtrum duo ſortitum eſſe nomina, vnum ſcilicet *Dubis* ab ipsâ ſuâ origine, quę propè *Motam* eſt in monte Iurâ, vſque ad ſpatium, quod eſt inter *Epamanduodurum*, & *Domnipetram* pagos Burgundiæ, vbi *Alduadubis* vocari rectè incipit, proptereà quòd ibi miſcetur ei riuulus, qui vernaculè dicitur *l'Aldua*, ortus ex vicinis montibus, & tranſiens per Montem Belicardum, ita fortè dictus *ἀπὸ τοῦ ἀλδαίν*, hoc eſt, *augere*, quòd Dubim augeat. Intereà non eſt hîc celandus error Ortelij in ſua Synonymia Geographica, vbi in nomine *Alduabis*, dicit eum Galliæ Narbonenſis eſſe fluuium, *quem* (inquit) *Poldus, & Marlianus hodiè Doux nomen habere aiunt.* Audiamus quæſo Marlianum: *Alduaſduſius Celtarum eſt fluuius, Gallicè, le Doux, oriens circa montem Iuram, Sequanos ab Heluetiis diuidens, lapsúſque per Comitatum Burgundiæ, Montem-Belicardum, Inſulam, ac Claraualle m caſtella perluit, ac Vrbem Biſontinam nunc interſecat, dehinc Dolam oppidum præterfluens, circà Viredunum Caſtrum non longè à Cabilonenſi vrbe, Arari fluuio, cui nunc Saona nomen eſt, miſcetur, & Dubius nunc vocatur, ad Sequanos prorſus pertinens.* Non igitur ad Galliam Narbonenſem, vt ait Ortelius; nam ex monte Iurâ, ſuprà pagum *Motam*, longè ab Arari (contra Paradinum.)

Fonte

Fonte cadit modico, paruiſque impellitur vndis,
Perque imas ſerpit valles,

grandiórque factus, & nauigabilis mediam Veſontionem interfluit, dein Arari miſcetur, illiúſque auget opes,

---quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit Rhodano, raptúmque per arua
Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.

Nauigabilem olim fuiſſe teſtis eſt Strabo libr. 4. Geograph. ῥεῖ δὲ καὶ ὁ ἄραρ ἐκ τῶν ἄλπεων ὁρίζων σηκουανούς τε καὶ αἰδουίους, καὶ λιγκασίους παραλαβὼν; δ᾽ ὕστερον τὸν δοῦβιν ἐκ τῶν αὐτῶν ὀρῶν φερόμενον πλωτὸν: *Arar ex Alpibus labitur, Sequanos, & Æduos, & Lincaſios diſcernens, & Dubim poſteà aſſumens iiſdem ex mõtibus nauigabilẽ delatum.* Auream vt Tagus, Padus, Pactolus, Hebrus, & Ganges, Dubis noſter arenã producit, vt inquirẽti ſit notum, ex eorum fluuiorum numero, quos Diodorus lib. 5. auriferos in Gallia plures eſſe ſcribit. Falſum eſt autem, quod narrat Belleforeſtius in Coſmograph. Dubim Fluuium per plateam Quintiniam olim decurrere ſolitum; cùm certum habeamus tum domeſticis ſcriptis, tum ſeniorum teſtimoniis, non illac Dubim, ſed Aquæductum veterem perfluxiſſe; quod confirmant eius ruinæ in cellis vinariis, quæ Plateæ Quintiniæ circumiacent.

Sequitur Arar, qui *Rhodanas molliter intrat aquas:*

Ammianus lib. 15. *Sauconam* appellari dicit, alij *Sagonam,* vulgus *Saonam;* Oritur non longè à Fonti-

bus Moſæ, & fluuium vulgò *Lougnon* (quem recentiores imperiti *Cæpinam*, & *Cæpe* dicunt) luciorum copia nobilem abſorbet, in Magetobriæ territorio. Rectiùs mecum, & certiùs *Lignonem* quis vocet, ex veteri quadam charta Hugonis primi, Archiepiſcopi Biſontini, per quam concedit S. Stephano inter alia, *Molendina ſita ſuprà lignonem fluuium in villa quæ dicitur Cuſſiacus:* Extat in Chartophylacio Capituli.

Danus ex antro profundiſſimo egreditur circa *Syrodum* Burgundiæ vicum, & tandem, extra Sequanicum, Rhodano miſcetur, ob auratas, & truttas celeberrimus.

Ab hac etiam laude eſt inſignis, qui incolis *Loüe*, rudioribus quibuſdam Neotericis *Luuia*, *Lupa*, vel *Lupus*, mihi melius *Lucinus*, ad quem olim *Lucini Portus*, de quo infrà in Ciuitatum Maximæ Sequanorum declaratione. Hoc flumen limpidiſſimum, & gelidiſſimum rupes ad *Ouinum* pagum, paulò ſupra *Altam-Petram* euomit ore vaſtiſſimo, & intuentibus mirabili.

SEQVANORVM SALINÆ: Thermæ Luxouianæ: Antra Quingiacum, & Gelidum.

CAPVT V.

PRÆTER ingentia flumina, & Sequanicum fontem, à quo fortè Genti nomen, de quo ſuprà cap.2; Sequanos rigant plerique amnes, & fontes propè infiniti, ita vt illud Poëtæ liceat vſurpare, —*fontibus omnia puris*
Hîc ſunt irrigua, & riui de rupe cadentes
Prata per, & campos labuntur murmure dulci.
Aquæ calidæ, medicatæ ſulphure, & alumine imbutæ ſcaturiunt apud Luxouium, vbi Thermæ ſtupori, paralyſi, vteri, neruoſarúmque partium frigidis affectibus, & morbis cutaneis vtiliſſimæ, de quibus hæc Ionas, qui prope mille ab hinc annis ſcripſit, in vita S. Columbani cap.9. apud Bedam tom.3. & Surium tom. 6. *Inuenit* (S. Columbanus) *caſtrum fuiſſe firmiſſimo olim munimine cultum, à ſupradicto loco* (Anagrates) *diſtans plus minus octo millibus, quem locum Luxouium priſca tempora nuncupauerant, ibi aquæ calidæ cultu eximio conſtructæ habebantur: ibi imaginum lapidearum denſitas vicina ſaltus denſabat, quas cultu miſerabili, ritúque prophano, vetuſta paganorum tempora honorabant, quibuſque exſecrabiles ceremonias litabant; ſolæ ibi beſtiæ, ac feræ vrſorum, bubalorum, luporum multorum frequenta-*

bant. Ibi reſidens vir egregius Monaſterium cœpit conſtruere, &c.

His toto temperamento diſſimilis lympha, media æſtate concreſcit in gelu, quinque aut ſex à Veſontione milliaribus, in antro quodam, quod *Frigidariam* vocant,(vulgò *la Froidiere)* naturæ non abſimilis cum eo Garamantum Fonte, de quo Solinus in Polyhiſtore cap. 22. *qui alternis curſibus die friget, nocte feruet, ac per eadem venarum commercia interdum ignito vapore æſtuat, interdum glaciali algore inhorreſcit.* In antri illius orificio rectà Septentrionem reſpiciente, *cochleæ terreſtres hirſutæ* ſponte naſcuntur, *Pulmonariæ* ſymphiti foliis plerumque adhærentes, quæ in illo introitu frequens oritur cum *ſaxifragá*, quam Rembertus Dodonæus *auream* cognominauit.

Medium occupant actu frigidi, calidi potentia ſalſi fontes, qui apud Salinas Sequanorum vrbem ſcaturiunt, ex quibus igne denſatis ſal efficitur candidiſſimum, ori longè gratius eo, quod ex aqua marina paratum, *populare* Cato vocat, *ſordidum* Feſtus. Tres illic ſunt præcipuæ ſcrobes ſeu ſcaturigines, ex quibus per varios, & occultos ductûs erumpit aqua, in quibuſdam magis, in aliis minùs ſalſa, in aliquibus apios fermè tota.

Vbi paratur, ædes magnificæ ſunt,& verè regiæ, quas Longobardorum quorumdam ex familia *Aſinellorum* induſtriâ, ductúque Burgundiæ Principes conſtruxiſſe fama eſt.

Verùm vnde hi fontes? vnde illorum ſalſedo?

Ex

Ex imbrium aquis non colligi probatur ex eo,quod ſint perennes, neque per ſummam æſtatem areſcant vmquam. Illos non à mari deriuari, vel vnico ducor argumento, quòd ſcilicet in aquæ maris libris centum, tres, aut quattuor ad ſummum ſalis, in noſtræ verò pari pondere, ſexdecim, viginti, & plus etiam aliquandò contineantur. Supereſt vt, cum Ariſtotele, illos ad vapores in locis ſubterraneis, & montium concauitatibus in aquam concreſcentes referamus, quæ per loca ſalſa decurrendo, ac ex eorum contactu, & venarum ſalſarum colliquatione non modò ſapore imbuatur, ſed multum etiam ſalis permiſtum deuehat.

Thermæ Luxouianæ cur ſulphureæ ſint, & aluminoſæ, eamdem ob cauſam fieri exiſtimo, quòd nempè ſulphureos, & aluminoſos terræ meatus peruadant.

In ſalſis verò Salinarum Fontibus vnum planè mirabile, quòd vnus plus ſalis flante Boreâ deferat, plus verò alius ſpirante Auſtro, de quo difficile eſt omninò ratiocinari. Certè conſtat Auſtrum calidum eſſe, & humidum; Boream item ſiccum,& frigidum; vtrumque autem è corporibus animatis humores elicere, illum quidem cùm diſſoluit, & diſſipat; iſtum verò dum conſtringendo exprimit. Liceat mihi coniicere hos flatus in ſubterraneis horum fontium alueis, ac meatibus ſimile aliquid operari; nempè laxat Auſter venas terræ,quas aqua ingreſſa plus ſolito ſalis exſugit, cogit Aquilo, &

conſtipat, & quaſi ex torculari effluit denſior vnda, magíſque ſalſa quàm ſoleat. Sed vrgebis, cur fons vterque alterutro flante vento non eſt vberior? Suſpicor ſanè alterum fontem per ſicciora, alterum per humidiora loca decurrere, ſicciora namque non exſiccante Borea, ſed Auſtro diſſoluente plus ſalis effundunt, at contrà ex humidioribus conſtringente Aquilone copioſior humor exprimitur.

Glaciei, quæ in antro concreſcit, æſtiuo tempore cauſa eſt Antiperiſtaſis; cùm enim aqua in illa cauerna ſuaptè natura frigida à calore intenſo quaſi obſideatur, per illum calorem educto illo aduentitio calore, qui in aquâ per hyemem incluſus perſtiterat, recipit ſeſe ad frigus ſibi connaturaliter debitum. Quoniam verò in præſenti rerum ſtatu non datur purum aquæ elementũ, manent ſemper in ipſa aqua exhalationes quædam ſiccæ, & terreſtres, quæ à frigore valde intenſo, propter loci illius opportunitatem, conſtipantur in gelu, cuius eadem eſt cauſa proxima, quæ glaciei hyemalis, nempe frigus intenſum.

Similis eſt ratio concretionis illius aquæ in lapides, quæ fit in antris *Quingiaco*, & *Eſtallanio*, in fonte *Larderio* propè Campignolam, & alibi; nempè cùm in locis illis valdè humidis perpetui vapores generentur, & immiſceantur craſſiſſimis exhalationibus; hinc fit quòd facilè coguntur in terram illam duriorem, ac lapidi ſimilem, non autem in gelu, tum quia non ita viget ibi frigus, tum etiam quia

quia denſiores ibi exſpirant halitus, qui in aliquid terræ ſimilius facilè coaleſcunt.

MAXIMÆ SEQVANORVM præcipuæ Ciuitates & Caſtra: Veſontio Metropolis.

CAPVT VI.

QVEMADMODVM omnium Galliæ Prouinciarum celeberrimá, populoſiſſimámque fuiſſe Sequanicam, omnibus eſt in confeſſo; ſic omnium eius Ciuitatum, quas enumerat Antoninus Auguſtus in itinerario, ampliſſimam, & pulcherrimam fuiſſe Veſontionem nemini dubium eſſe debet, quæ illius Prouinciæ erat Metropolis: Sic libellus Prouinciarum Galliæ manu exaratus, quem ſeruo:

PROVINCIA MAXIMA Sequanorum:

1 *Metropolis Ciuitas Veſontienſium:* ſine controuerſiâ eſt *Beſançon* Gallis; *Byzants*, Germanis.

2 *Ciuitas Equeſtrium, id eſt Niuidunum:* malè quidam vertunt *Neuf-chaſtel en Suïſſe*; eſt enim oppidum vulgò *Nyon*, ad lacum Lemanum, vbi olim morabantur Epiſcopi, qui nunc Bellicij, ad quod pertinet hæc vetus inſcriptio.

IMP.

258.9. IMP. CÆS. M.
AVRELIO.
ANTONINO.
PIO. FELICI. AVG.
PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST.
COS.
CIVITAS
EQVESTRIVM.

3 *Ciuitas Helueciorum, id eſt Auenticum:* In antiquo lapide,

427.12. COLONIA. PIA. FLAVIA. CONSTANS.
EMERITA. AVENTICVM. HELVETIORVM.
FOEDERATA.

Nunc eſt pagus, qui vocatur *Auenches* apud Heluetios, ditionis Friburgenſium, olim ſedes Epiſcoporum Auenticenſium, qui poſtea dicti ſunt *Lauſanenſes.*

4 *Ciuitas Baſilea. Baſle.* olim *Colonia Raurica*; Epiſcoporum Rauracenſium, ſiue Baſilienſium (qui nunc *Bruntruti* habitant) ſedes, de qua lapis antiquus:

L. MV

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON. 439. 8.
PLANCVS. COS. AGENS. IMP. ITER.
VIIVIR. EPVL. TRIVMP. EX. RAETIS.
AEDEM. SATVRNI. FECIT. DE. MANVBIS.
AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA. BENE-
VENTI. IN. GALLIA. COLONIAS.
DEDVXIT. LVGDVNVM. ET. RAVRICAM.

5 *Caſtrum Vindonenſe:* B. Rhenanus lib. 3. rerum German. putat eſſe *Vindoniſſam*, quæ nunc eſt vicus exiguus, vulgò *Vvindiſch*, propè Arolæ, Ruſſæq; amnium confluentes, ex Philippo Cluuerio lib. 2. German. antiquæ cap. 4. in *Ambronico pago*.

6 *Caſtrum Ebrodunenſe:* non poteſt eſſe *Ebredunũ*, vulgò *Ambrun*, in Cotiis Alpibus; ſed eſt *Ebrodunum*, vulgò, *Yuerdun* in finibus Heluetiorum (non procul ab oppido *Pontarlier*) de quo Cluuerius loc. cit. in *Vrbigeno pago*, & P. Merula Coſmogr. p. 2. lib. 3. cap. 40.

7 *Caſtrum Argentarienſe*: B. Rhenanus libr. cit. putat eſſe *Argentuariam*, quæ hodie *Horburgum*; *Argentoüariam* legit Philip. Cluuerius lib. cit. cap. 8.

8 *Caſtrum Rauracenſe:* nunc dicitur *Augſth*, nec longè diſtat à Baſilea.

9 *Portus Lucini*: corruptè nonnumquam *Bucini*, *Buxini*, & *Abucini*: ſuſpicor pagum eſſe, qui vulgò, *Port de Lené*, ad *Lucinum* Fluuium, vbi martyrio cre-

D ditur

ditur coronatus Sanctus *Valerius* Archidiaconus Lingonenſis.

Erant igitur in Sequanis, præter Metropolim Veſontionem, tres aliæ tantùm propriè dictæ *Ciuitates*, trium Epiſcoporum Biſontini Metropolitani ſuffraganeorum olim ſedes; Et præterea quinque, non propriè Ciuitates, ſed Caſtra, & vrbes ad Prouinciæ tuitionem. Vnde corrigendi ſunt codices Antonini, & aliorum, qui alteram Ciuitatem modò *Niuidunum*, modò *Noidenolex Auenticum*, prioribus interſerunt, errore manifeſtiſſimo; Nam præterquá quod omittitur in probatis Scaligeri codicibus, apud P. Merulam Coſmogr. p. 2. lib. 3. cap. 19. & in exemplari vetuſtiſſimo Bibliothecæ Tigurinę, quod Ioſias Simlerus anno 1575 Baſileæ publicauit; Nullum talis Ciuitatis apud Sequanos ſupereſt veſtigium. Tres enim tantùm, vt ſuprà monuimus, ſuberant Biſontinæ Metropoli Ciuitates, atque tres Epiſcopi Biſontino Metropolitæ, vt ſubſunt adhuc; *Baſilienſis*, olim dictus *Rauracenſis*, & *Rauricorum*; *Lauſanenſis*, olim *Auenticenſis*, & *Auenticorum*: & *Bellicenſis* olim Epiſcopus *Niuiduni*, ſiue *Ciuitatis Equeſtrium*.

Hinc etiam toto cælo aberraſſe Ludouicum Goluſium perſpicuum eſt, cùm aliam à Veſontione Sequanorum Metropolim ſibi ipſe finxit, lib. 1. cap. 2. & 24. eam modò conſtituens Oppidum *Seckinghen* in Rheni ripâ, à Sequanis, vt ait cum Glareano, dictum, quod tamen melius *Sanctionem* apud Ammian. libr. 21 docti interpretantur modò; vicum

quem

quemdam ignobilem Dolæ proximum,quem *Aſans* indigitant, cui ſine fundamento, Senonum, & Sequanorum tribuit originem; Sed hæc eſſe commenta quis non videt? Horum nulli planè veteres meminerunt;Veſontionis verò noſtræ omnes citati, & citandi deinceps.

Ammianus Marcellinus lib. 15 Veſontionem inter celebres totius Galliæ vrbes recenſet, oculatus teſtis; *Apud Sequanos* (ait) *Biſontios vidimus, & Rauracos cæteris potiores oppidis multis*, hoc eſt, *præſtantiores.* Tabulæ fere omnes Geographicæ ſic habent; *Veſontio*, pro Ciuitate, & *Veſontij* pro Sequanis Burgundiæ incolis: Quod mouit Volaterranum, & Munſterum, vt ſcriberent, *Salinas eſſe in territorio Biſontino*; & Baronium in Martyrologio Romano, *feſtum S. Petri Tarentaſij celebrari in territorio Biſontino*, cùm tamen id fiat in cœnobio Bellæuallis in Sequanico; Necnon Venerabilem Bedam in ſuo Martyrologio, *corpus S. Romani Abbatis poſitum eſſe in finibus Veſontiônum*, quod Baronius in locis Iurenſibus eſſe dicit, in finibus ſcilicet Burgundiæ ſuperioris, & extra Diœceſim Biſontinam,in Lugdunenſi.

Cornelius Tacitus 20 Annal. Iulij Sabini irruptionem in Maximam Sequanorum Veſontionem proferens *Sequanos Ciuitatem* vocat, quippe populoſiſſimam, ampliſſimam, & Sequanici totius Metropolim. *Ciuitatem Sequanorum* nominat Cæſar; cùm enim lib. 1 bell. Gal. *Orgetorigis* Heluetij (quem nobiliſſimum, & ditiſſimum fuiſſe aſſerit) legatio-

nem ad Galliæ Ciuitates enarrat, ipſum in itinere ſuo (quod eſt ab Heluetiis ad Gallos, per Veſontionem, & Sequanos) *Caſtico* Sequano *Catamanledis Sequanorum Regis* filio perſuaſiſſe dicit, vt regnum, quod anteà pater habuerat in ſuâ ciuitate, occuparet, Veſontione ſcilicet, quam poſteà idem Cæſar *Maximum, & munitiſſimum Sequanorum oppidum* appellat, in quo Sequanorum Reges multis ante Imperium Romanum ſæculis ſedem fixiſſe poſteà probabimus. Imperator autem *oppidum* pro vrbe, aut Ciuitate poſuit: hæc enim tria ſæpè confunduntur apud autores. Sic Plautus in Perſâ, cùm Eleuſipolim ſæpius vrbem vocauit, ſubiungit; *Eleuſipolim Perſæ cepere Vrbem in Arabia, plenam bonarum rerum, antiquum oppidum:* ſic *Athenas* vrbem nobiliſſimam, *oppidum* vocauit Tullius epiſt. 7. lib.3. ad Atticum: ſic *Corinthum* celebrem Ciuitatem, *oppidum* Sulpitius appellauit lib.4. epiſt. 5. eadem libertate Cæſar *Veſontionem*, quam *Ciuitatem* prius indicauerat, poſteà *oppidum* appellat; vt Dion Caſſius *vrbem Sequanorum*; Iulianus in epiſtolis modò πολίχνιον, hoc eſt *oppidum*; modò πόλιν, hoc eſt *Ciuitatem*; Golthſius, ex recentioribus, in vita Iulij Cæſaris, *Vrbem Sequanorum Maximam.* Per Ciuitatem autem Sequanorum, non oppidum vnum, aut vrbem apud Cæſarem intelligi volunt aliqui, ſed totum Sequanorum Imperium. Verùm *Sequani* olim non tantũ pro gente ipsâ, ſed etiam pro Veſontione vſurpati ſunt; eo modo, quo *Rauracos*, pro *Baſilea, Mediomatricos* pro *Diuoduro*

Medioma

Mediomatricorum, Treuiros pro *Auguſta Treuirorum, Pariſios* pro *Lutetia Pariſiorum*, *Morinos* pro *Tarüana Morinorum*, autores dixerunt, vt annotauit Rhenanus lib. 3. rer. Germanic. in *Baſilea:* atque vt ipſe Cæſar per *Æduorum Ciuitatem*, *Auguſtodunum* intellexit, ita per *Sequanorum Ciuitatem*, *Veſontionem* notaſſe veriſimile eſt. Notitia Prouinciarum Galliæ, in Lugdunenſi primâ, ſic habet; *Ciuitas Æduorum, hoc eſt Auguſtodunum. Ciuitas Aruernorum, Aruerna*; ita *Ciuitas Sequanorum*, cur non *Veſontio?* Hinc, *Ciues Sequanos* olim dictos pro Biſontinis exiſtimo.

Lapis Antiquus.

D. M.
ET. MEMORIAE. 1040. 8.
AETERNAE.
DIVIXTI. CIVIS.
SEQVANI. Q. VIXIT.
ANNIS. LX. SINE. VLLA.
MACVLA. CVM. VA
RVA. SEXTIANI. CON
IVGE. KARISSIMA.
ANN. XXIIII. SINE.
VLLA. DISCORDIA.
QVAE. CONIVX. KA
RA. PONENDVM.
CVRAVIT. ET. SVB.
A. D.

Lapis alius.

. . . .

847. 11. ET. MEMORIAE.
AETERNAE.
DECMIAE. DEC
MILLAE. CIVIS.
SEQ. FEMIN. SANC
TISSIMAE. DEC
MIVS. DECMA
NVS. FRATER.
ET. SILVINIVS.
BALBINVS. MARI
TVS. P. CVRAVER.
ET. SVB. ASCIA. DEDIC.

NEOTERICORVM DE Veſontione teſtimonia: Symbolum Vetus.

CAPVT VII.

RECENTIORES, & fide digni autores plerique, antiquiſſimam, & celeberrimam Sequanorum Metropolim Veſontionem prædicarunt. Primus inter illos *Remundus Marlianus* (quem aliàs Iura profitentem audiuit

audiuit in hoc Sequanico Dolana Academia) in ſuâ veterum locorũ Galliæ alphabeticâ deſcriptione; *Veſontio* (inquit) *oppidum Maximum Sequanorum, natura loci munitum inter Celtas, nunc Comitatu Burgundiæ circumſeptum. Ciuitas eſt Imperialis, & Metropolitica, nomen retinens mutata litera V, in B, vt Romanis, & Vaſconibus pronuntiandi mos eſt; ſitum habet, qualem Cæſar deſcripſit in commentariis, præter quam quòd nunc eam idem fluuius magnâ ex parte interſecat,* (nempè amplificata vltra Flumen Ciuitate.) *In illa ſunt loca vetuſta, qualia Romæ, quæ Pantheon, Campus Martius, Campúſque Mineruæ, vulgò ſemper Latinè dicta ſunt, multáque alia priſcæ vetuſtatis monumenta conſiſtunt.* Idem ferè Paulus Merula in Coſmographia, qui poſtquam *liberam, Metropoliticam, & Imperialem Ciuitatem* vocauit, ſubjungit; *Vrbs hoc tempore magnifica, ad hoſtium impetus ſuſtinendos, & propulſandos, cum naturâ, Dubis beneficio, tum validiſſimis propugnaculis mirum in modum munita, ſyluoſis, vitiferiſque montibus egregiè cincta; piſcium, fructuúmque delicatiſſimorum affluentiâ valdè diues. Intrà mœnia ſunt horti ſpatioſi, vineta, viridaria, aptique ſtudiis, & meditationibus receſſus. Archiepiſcopatus dignitate clara eſt,* &c.

Iiſdem penè verbis Veſontionem effert *Gaſpar Ens* in deliciis Germaniæ, quibus addit; *Mirandum in modum vrbem Veſontinam veneranda commendat antiquitas, quæ à Iulio Cæſare, ob bellicæ gentis fortitudinem, & ſummum libertatis ſtudium, culta ſemper, & obſeruata fuit. Tantas ſiquidem ſuo æuo Veſontinorum vires fuiſſe*

commemo

commemorat, vt Principes etiam Alemanos ſtipendiarios habuerint, atque adeò Athenienſes vectigales effecerint, obſidéſque dare coëgerint. Huius vrbis portas puro auro contectas fuiſſe conſtat, quâ de cauſa Chryſopolim nuncupatam exiſtimant. Quamuis autem Veſontina Monarchia tantæ non fuerit dignitatis, atque potentiæ, quantæ olim Romana; tamen publicorum ædificiorum magnificentia, proximè ad eius famam, & gloriam acceſſit; vetuſta ſiquidem in hac vrbe loca conſpiciuntur, Pantheon, Campus Martis, Dianæ, Mineruæ, Campúſque Lunæ, multaque hîc alia priſcæ vetuſtatis monumenta viſuntur.

Omitto *Paradinum*, *Ortelium*, *Bruinum*, *Belleforeſtium*, alióſque, & dico Veſontionem

---Urbem magnæ quæ dicitur æmula Romæ;

quæque olim erat *---potens ſalubritate,*

Delubris, Capitoliis, monetis;

etſi variis Barbarorum incurſionibus vaſtatam, ſolam tamen in Galliis, Romanis aquilis firmiter adhæſiſſe, quas, ne aufugerent, binis firmauit columnis, cum illo auſpicatiſſimo ſymbolo VTINAM, Gallicè, PLEVT A DIEV, quod Ciuibus huc vſque ceſſit in bonum, vtinam in poſterum cedat, æternamque fœlicitatem, publicam libertatem, dignitatem Romanam, & Chriſtianam pietatem ſemper foueat. Vtinam Summus rerũ opifex Deus ipſis

Nec metas rerum, nec tempora ponat,

Imperiumque ſine fine largiatur, qui ſuis Cæſaribus perpetuò fidi fuere, & Catholicæ religionis acerrimi cultores.

VESON

VESONTIONIS FORMA, Situs, Portæ, temperies, horti, ædificia, bibliothecæ.

CAPVT VIII.

CIVITATIS porrò forma eſt pulcherrima; diſpoſitio, & ſitus iucundiſſimus, qualem Cæſar in commentariis retulit, niſi quod poſt ipſum amplior facta, vltrà pontem Dubis, eâ parte, qua olim Batualia, & Arenæ. Imaginare tibi (vt de Tuſcis ſuis Plinius ſecundus in epiſt.) Amphiteatrum aliquod immenſum, & quale ſola rerum natura poſſit effingere; lata, & diffuſa planities montibus cingitur, montes ſummâ ſui parte nemora antiqua habent, vbi frequens & varia venatio, inde ceduæ ſyluæ cum monte ipſo deſcendunt. Iuxtà ſunt terreni colles, qui campis planiſſimis fertilitate non cedunt, in quibus per latus omne vineæ porriguntur, vnamque faciem longè, lateq; contexunt; quarum à fine, imóque quaſi margine arbuſta naſcuntur; inde campi, pratáque florida, quæ teneras, & molles herbas alunt, & quaſi ſemper nouas, cuncta enim riuis perennibus nutriuntur. Ibi aquæ plurimum, palus nulla, quia deuexa terra quidquid liquoris accepit, nec abſorbuit, effundit in Dubim, qui totam ferè ciuitatem, in Equinæ ſoleæ figuram circumdat.

E Ciuitas

Ciuitas in imo eſt ſita (ad quam per quinque nunc portas eſt aditus, *Sciſſam*, *B. Virginis*, *Batualium*, *Charitomontanam*, & *Arenarum*,) atque ita leniter, & ſenſim fallente cliuo conſurgit, vt cùm aſcendiſſe te non putes, ſentias aſcendiſſe.

Deambulationes gratiſſimæ in vicis nitidiſſimis, & in campo Martio intrà ipſa pomœria, vbi aquarum fluentium perennitas, vmbræq; captandæ accommodatiſſimi in viridariis receſſus.

Cœlum hyeme frigidum eſt, æſtatis verò mira clementia. Ita cingitur montibus, vt ventorū ſalubrium flatus non impediant, imò ab inſalubribus protegant; Nam Dianæ collis Ciuitatem à peſtiferis Auſtri flatibus defendit.

In viridariis fœlices, & fructiferæ arbores, æqualibus ſpatiis ab inuicem ſunt diſpoſitæ. In hortis Xyſti conciſi in plurimas ſpecies, diſtinctíque liguſtro, & buxo, in quorum mediis areolis omnis generis exotici flores, *Iridum*, *Meleagridum*, *Ornithogalorum*, *Aſphodelorum*, *Crocorum*, *Anemonum*, *Tuliparum*, *Narciſſorum*, *Hyacinthorum*, *Hemerocallidum*, & eorum, quos *Coronas Imperiales* vulgò vocant.

Ædificiorum magnificentia externis eſt admirabilis; primùm in Ciuica domo, cuius foribus, aureis hæc inſculpta characteribus legas:

DEO ET CÆSARI FIDELIS PERPETVO.

Paulò infrà:

BONIS NOCET QVI MALIS PARCIT.

& intus

& intus illud Æſchyli:

OBEDIENTIA FOELICITATIS MATER.

Tum in Granuellano palatio, in quod quidquid ſagax curioſitas rari, & admirabilis expetere poteſt, videtur eſſe congeſtum. Ibi viſuntur antiquitatis opera ſtupenda, tum è marmore, tum ex ære ſtatuæ; Et marmoreæ potiſſimæ in viridario; Ad dextram quidem Iouis cum hac Inſcriptione:

HANC IOVIS NOBILEM STATVAM, DELICIAS OLIM IN VINEA MEDICEORVM ROMÆ ILLVSTRISS. D. MARGARITA AB AVSTRIA DVC. CAMARINI AN. M D XLI, A GRANVELLA, CVM IBI TVM CÆSARIS VICES AGERET, DONAVIT, QVI EAM VESVNTIVM TRANSTVLIT, ET HOC LOCO PO. AN. M D XLVI.

Ad ſiniſtram verò Iunonis cum hocce titulo:

ME IVNONEM A GRANVELLA CVM IOVE VESVNTIVM EVECTAM D. CAROLINA AB AVSTRIA HIC PONI VOL. M DC XII.

In aulâ verò, quaſi luculento Antiquitatis penu, videas Dianæ, Martis, Herculis, Mercurij, Thetidos, aliarúmque Nympharum antiqua ſigna; Cæſarum verò Iulij, Hadriani, & aliorum ænea capita magnitudine non inæqualia humanis. Denique ſi æterni totius naturæ fictoris, & molitoris imitatricem picturam habeas cordi, licebit intueri longo agmine, quidquid præcipui peritiſſimorum ſuperioris, & huiuſce ſæculi pictorum, *Alberti Dureri, Michaëlis Angeli, Martini Deuos, Raphaëlis Vrbini*, aliorumque inclytorum Zeuxium, aut Apellium ſcitæ manus effinxerunt. Non eſt inſuper reticenda veterum manuſcriptorum nobiliſſima ſupellex, quæ ibidem luculenta, cum aliis innumeris doctiſſimorum virorum voluminibus, ſcientiarum omnium veluti ſcriniis, aut fontibus.

Publicis ornamentis accedunt ſcholæ, olim municipales, à Senatu nunc inſtauratæ, aliæq; priuatæ Nobilium domus, & palatia, in quibus Bibliothecas videas cùm impreſſis libris inſtructiſſimas, tum etiam adorandæ vetuſtatis codicibus manuſcriptis: Ex quibus in mea Bibliotheca plurimos aſſeruo, vt *Plinij*, quo vſus eſt Iac. Dalechampius in Plinio reſtituendo; *Titi Liuij* cuius meminit Lipſius lib. 1. antiquar. lectionum, cap. 22. & alios pleroſque ſingulares.

Mitto celeberrimas olim Inſignis Capituli Bibliothecas, nunc priſcis librorum periſtromatis iniuriâ temporum ſpoliatas, quarum tamen in Baſilicis

licis

licis SS. Ioannis, & Stephani non obſcura veſtigia

In aulâ verò, quaſi luculento Antiquitatis penu,

licis SS. Ioannis, & Stephani non obſcura veſtigia in manuſcriptis codicibus aliquot, ſacros contextus, & acta Sanctorum continentibus ſuperſunt.

TEMPLA BISONTINA ET Religioſæ domus notis Arithmeticis in Typo Veſontionis deſignatæ.

CAPVT IX.

INTER potiora Veſontionis ornamenta cenſeri debent Ædes ſacroſanctæ, quas luci reddita æterno numini, & Sanctis conſtituit, de quibus paſſim parte ſecunda. In his reliquiæ ſeruantur quamplurimæ, omnes loculis conditæ pretioſis: Vix enim vllum ſacri oſſis fragmentum eſt, quod thecam non habeat peculiarem, ex ebore, cedro, auro, vel argento fabricatam, pretioſiſſimis gemmis, antiquis etiam ac ſignatoriis diſtinctam, & collucentem.

Eccleſiæ Metropolitanæ II.

Prima templorum omnium in mole, materiâ, ſymmetriâ, artificio, grandiora, ſplendidiora, & ornatiora ſunt Baſilicæ duæ SS. Ioannis Euange- 1.
liſtæ, & Stephani Protomartyris, de quarum fun- 2.
dationibus, conſecrationibus, reſtaurationibus,

amplificationibus, contentionibus; Vide *part. 2, in Lino, Maximino, Hilario, Panchario, Iuſto, Frominio, Leontio, Celidonio, Nicetio, Bernuino, Vvaltherio I, Hugone I, Humberto, Gulielmo I, & II.* &c.

Eccleſiæ Parrochiales VIII.

3 S. Ioannis Baptiſtæ; de quâ *part. 2, in Maximino & Migetio.*

4 S. Mauritij; *in Syluestro I, & Migetio.*

5 S. Petri; *in Euſebio, Syluestro I, Nicetio, Protadio, Migetio, & Tetradio II.*

6 S. Magdalenes, quæ Collegio Canonicorum etiam inſignis eſt; *in Hugone I, & Odone.*

7 S. Andreæ, iuxta monaſterium S. Michaëlis.

8 Beatæ Mariæ Virginis, in Iuſſano Monaſterio, vbi Minimi nunc habitant; *in Migetio, & Tetradio II.*

9 S. Marcellini, in Eccleſia S. Vincentij; *in Ternatio, Hugone II, & Tetradio II.*

10 S. Donati, propè Monaſterium S. Pauli; *in S. Donato.*

Monaſteria virorum. VII.

11 S. Pauli Canonicorum Regularium ordinis S. Auguſtini; *in Antidio, Donato, & Hugone I.*

12 S. Vincentij Monaſterium, ord. S. Benedicti; *in Hugone II, & III.*

13 Prædicatorum, ord. S. Dominici; *in Girardo I.*

14 Franciſcanorum; *in Ioanne I.*

15 Cat

15 Carmelitarum; *in Girardo II.*
Minimorum; *in S. Donato, & Ferdinando.*
16 Capucinorum; *in Ferdinando.*

His addi poſſunt.

17 Monaſterium S. Michaëlis, in quo *Recluſus* habitat pœnitentiarius Archiepiſcopi.
18 Eremus S. Leonardi, extra portam ſciſſam, ad ripam Dubis, de quibus *in Guilelmo II.*
19 Necnon templum ord. S. Ioan. Hieroſolymitani, quod eſt in vico Caſtoris.

Monaſteria Fœminarum V.

Monialium olim in colle Dianæ, nunc deſtructum; *in Leontio.*
20 Monialium ord. Ciſtercienſis, vulgò, *les Dames de Battant*; in S. Donato.
Aliud olim in Iuſſano Monaſterio; *in S. Donato.*
21 Clariſſarum; *in Theobaldo.*
Carmelitis ſanctimonialibus nuper in Ciuitatem admiſſis, nondum aſſignatus eſt certus ad habitandum locus; *in Ferdinando.*

Xenodochia V.

22 S. Spiritus; cuius rector, ſeu magiſter eſt Generalis ſui Ordinis cis Alpes; *In Ioanne V.*
23 S. Iacobi in Vico arenarum; *ibidem.*
24 S. Antonij; *ibidem.*
25 S. Brigittæ; *ibidem*, & in *S S. Ferreolo, & Ferrucio.*

S. Anti

S. Antidij nunc deletum; *in Hugone I.*

Sacella publica IV.

26 S. Laurentij; *in Leontio, Migetio, & Hugone I.*
27 S. Iacobi extra muros in arenis; *in Ioanne V.*
28 S. Quintini; *in Hugone I.*
29 S. Annæ; *in Claudio III.*
Præter hæc aliquot alia ſunt ſacella, ſed priuata.
30 In Archiepiſcopio.
31 In Ciuica domo.
32 In palatio Granuellano.
33 In ædibus Monaſteriorũ *Bellæuallis,Charitatis*, &c.
34 Quibus omnibus accedit Societatis IESV templum ſcholis publicis annexum, non inelegans quidem, ſed ſanè quod ſplendori Ciuitatis, & ſcholarum non reſpondet; ideóque breui, Deo dante, amplificandum, & opere firmiore per Senatum fundatorem, exſtruendum. Verùm ad originem Ciuitatis, & æui antiquioris inſanias properemus.

VESONTIO A TROIANIS condita.

CAPVT X.

GALLI omnes autoribus Druydis (ex Cæſare libr. 6.) ſe à Dite patre inferorum Deo progenitos olim prædicabant, quorum ſententia fabuloſa,& abſurda refutatione non indiget.

Audiui

Audiuimus alios in publicis ſcholis aliquando perorantes, qui à Græcis Phocenſibus, ſeu Ionibus, qui Maſſiliam condiderunt, noſtrum deriuabant initium, quòd eorum nomen in Veſontionis nomine integrum appareat, & quia Græcis olim literis vſi ſunt Sequani noſtri, quod nummi plerique ex auro, argento, & ære conflati in hoc Sequanico effoſſi teſtari videntur, præter Iulium Cæſarem, qui lib. cit. *Druydes Gallorum Sacerdotes* (quorum nomen totum Græcum eſt) *linguæ Græcæ peritos fuiſſe* tradit; His addebant Græcum totius gentis nomen; Sequanos enim dictos volebant, non à *fluuio*, aut *fonte Sequana*; minùs ab Hebræis, qui *habitatores* vertunt; ſed à Græco nomine σηκὸς quod delubrum, & templum, ſiuè Deorum, ſiue Herouin ſignificat, quia inter Gallos, quos valdè deditos fuiſſe religionibus dixit Imperator, Sequani maximè fuerint religioſi, multáque Diis ſuis templa conſtruxerint, lucóſque, & ſepta conſecrarint.

Verùm Sequanos paſſim Græcè loquutos non fuiſſe; ſed propriâ vſos Celticâ linguâ clarè Cæſar oſtendit lib. 5. *qui magnis præmiis perſuadet cuidam ex Equitibus Gallis, vt ad Q. Ciceronē epiſtolā deferat, quam Græcis conſcriptam literis mittit, ne interceptâ eâ ab hoſtibus conſilia cognoſcantur*; & *ſoli Druydes* (inquit ibid.) *in publicis, priuatiſque rebus Græcis literis vtebantur.*

Longè igitur à veritate abſunt, qui Ionas illos, ſeu Phocenſes Veſontionem condidiſſe aſſerunt; Nam & T. Liuius lib. 5. Rom. hiſtor. dum Gallorum

profectionem in Italiam recenſet, eodem tempore Phocenſes in Galliam tranſiiſſe narrat. Quid ergo? ab illis eſſemus conditi, antè quorum in noſtram regionem aduentum vniuerſus terrarum Orbis coram Biſontinis Brenno Duce, cum cæteris Gallis intremuerat? antè quorum exaudita nomina *Següinus* Celtarum Rex Veſontione imperabat? Nugæ. Vetuſti Biſontinorum codices quadringẽtis triginta quatuor annis ante Romam, fuiſſe conditam Chryſopolim noſtram teſtantur, ex quibus illi verſus, qui extant in armamentario Biſontino:

Martia Romulidum ſenior Veſontio gente
Magnanimos habui Martis in arte viros:
Nondum Cæſar eras, nec lilia ſceptra gerebant,
Cùm ceſſit iuſſis Sequana terra meis.

Conſentit Achilles P. Gaſſarus in Epitome hiſtor.& & Chronicorum mundi, qui *anno mundi quater milleſimo trigeſimo octauo; antè Chriſtum centum & quadraginta vno, ſupra mille, annis, Narbonam, & Luteciam Pariſiorum in Galliâ, & Veſontionem Sequanorũ vrbem, primùm ædificari cœptam* affirmat. In eadem fuit ſententiâ, *Iacobus Philippus* Bergomenſis, ordinis fratrum Eremitarum D. Auguſtini, qui in ſupplemento chronicorum mundi, *à Troianis Æneæ ſociis primùm extructam Sequanorum Metropolim Veſontionem* teſtatus eſt: Ex quibus coniicere quiuis poteſt Biſontinos noſtros primos cœpiſſe inter Gallos,

——migrare vetuſto
De nemore, & proauis habitatas linquere ſyluas,

Ædifica

Ædificare domos, laribus coniungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Vt collata daret fiducia; protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem,
Communi dare ſigna tubâ, defendier iiſdem
Turribus, atque vnâ portarum claue teneri.

VESONTIO ET BISONtium à Biſonte dicta.

CAPVT XI.

VT conditoris, ſic nominis Veſontionis perdifficilis inueſtigatio: Nonnulli Græcum nomen βῆσος, quod Homero *Vallem* ſignificat, cum Ionum nomine coniungunt, quaſi Veſontio dicta ſit, *Ionum vallis*: Volunt alij *Veſum* Celticâ linguâ, virum inſignem ſignificare, quod nominibus Principum Celtarum *Segoueſi*, & *Belloueſi* filiorum *Ambigati* Regis confirmant, ab eóque Veſontionem appellant, quaſi à viro inſigni Ionico conſtructam Ciuitatem. Quidam *Biſuntium* dictum exiſtimant, quaſi *Biſvndium*, quòd bis à Dubis vndâ alluatur, alij aliâ ratione ſentiunt. Nos antiquam auorum noſtrorum ſententiam ſequimur, qui à *Biſonte*, ſeu *Veſonte* ferâ inibi captâ, Biſontium, & Veſontionem deriuant, vt obſeruauimus in vetuſtiſſimis manuſcriptis codicibus Eccleſiæ Metro-

politanæ, quos *Legendarios* vocát, *In inuentione SS. Ferreoli & Ferrucij* 5. *Septemb.* vbi de Ciuitatis nomine habes hæc verba: *Opinione quoque priſtinâ veterum habitatorum memoriæ iuniorum redditur, vnde Biſuntica appellatur; Eo namque tempore, quo reſtaurabatur, ſylueſter adhuc locus cùm eſſet, Viſon ibi fera reperta fuit, & inde vocabulum perenne eſt ſortita, id eſt Biſuntica B, pro V, littera (ſicut earum eſt affinitas) poſita.*

Quod ad Biſontij etymon ſpectat, aſſeruo in reliquâ antiquâ ſupellectile argenteum Biſontem incuſum, & cauum Veſontione effoſſum, quem veteres pro Ciuitatis hieroglyphico, Ægyptiorum more expreſſiſſe vero ſimile duxerim. Hîc eum in ære inſculpi curaui.



Et quidem dari Biſontes in rerum naturâ non eſt dubium, de quibus ſic Oppianus libr. 2. de Venatione:

Ἔστι

Ἔστι ἀμαιμάκετον φονίοις ταύροισι γένεθλον,
Βισονίδος Θρήκης, ἀτὰρ ἔλλαχον εἴδεα τοῖα.
Αὐχέσι παλέεσι, καὶ ἀμφ' ἀπαλοῖσι γενείοις:
Ξανθοκόμοι, βλοσυροὶ, θηρῶν μεδέοντε λέοντες.
Χαλκέοις γναμπτεῖσιν ἐπείκελοι ἀγκίστροισιν:
Νεύουσι ξυγερῶν κεράων ἐπικάρσιον αἰχμὴν:
Τοὺς καλέουσι Βίσωνας, ἐπεὶ πάτρης τελέθουσι
φερκαλέην χαίτην μὲν ἐπωμαδὸν αἰθύσσουσιν
Οἷά τε, λαχνήεντες ἀριπρεπὲς εἶδος ἔχουσι
Ὀξεῖαι, κεράων δὲ συνεγγλωχῖνες ἀκωκαὶ
Ἀλλ' οὐχ ὡς ἑτέροισιν ἐναντίον ἀλλήλοισιν
Ὕπτια δ' εἰσορόωντα πρὸς αἰθέρα φοίνια κέντρα.

Quos verſus ita Latinè reddidit Ioan. Bodinus:

Eſt aliud vaſtum membris, & ſanguine gaudens
Taurorum genus: hi nomen gentile ferentes
Biſtoniæ latos populantur Biſtones agros
Extremâ Thracum regione, figura decora,
Pendentes ceruice iubas palearibus, atque
Nodoſis quaſſant humeris, capitique ſuperbo,
Non ſecus ac freti magnâ virtute leones
Effera colla iubis feriunt ceruicis honorem,
Cornuáque effulgent ignitâ cuſpide acuta,
Aureus vt fuluo mucrone reflectitur hamus,
Non tamen hæc apices ſummos in ſeipſa retorquent
Vt reliquis, verùm reſupina feruntur in aſtra.

Hos Plinius lib. 8. cap.15. in Scythia, & Germania naſci perhibet. Solinus in Polihyſtore cap. 23; *In hoc tractu ſanè, & in omni Septentrionali plagâ Biſontes frequentiſſimi, qui bubus feris ſimiles ſunt, ſetoſi colla,*

iubas horridi, vltrà Tauros pernicitate vigentes, capti aſſueſcere manu nequeunt. Eraſmus Stella lib. de origine Bruſſorum *: In Bruſſia etiam Biſontes ſunt, ſed non admodum multi noſtro ſæculo, tauris omnino adſimiles, & iubas habentes proximè cornua.* Munſterus Coſmogr. vniuerſal. libr. 4. (ne quis in hoc fortè decipiatur) pro Biſonte malè *Rangiferum* deſcribit, & pingit, de quo Geſnerus lib. de quadrupedibus. In eodem errore eſt P. Gillius, qui in Ælianum ſuum apud Cæſarem lib. 6. de bell. Gall. *Biſontem* explicat, vbi *Rangiferum* Cæſar optimè deſcribit; Et malè pro boue Biſontem repoſuit *Hotomanus;* peius pro Biſonte Rangiferum deſcripſit in eodem Cæſare. Errauit quoque *Ioannes Pinicianus*, dum dixit Biſontem vnicum habere cornu in mediâ fronte. Hîc expreſſum animal, corpore boui ſimile eſt, iubatúmque vt equus, qualem Plinius, & alij deſcribunt Biſontem; cornibus capræ ſylueſtris, qualia Oppianum intelligere dicit Geſnerus in *Biſonte*, ſeu meliùs (vt in Alberti textu corrigit) *Veſonte*, à quo Biſontij, & Veſontionis nomen: vnde incolæ dicti *Veſontes* pro *Biſontes* in Notitiâ vtriuſque Imperij, propter affinitatem literarum B, & V, apud veteres, vt ex marmorum inſcriptionibus colligere eſt, in Orthographiâ Aldi Manutij, & eius comment. in libr. Hirtij de bello Hiſpanienſi. Verùm

Proſtratum vaſtâ Nemeæ in valle Leonem.
Nobile, & Herculeum fama canebat opus:

Sed multò inſignior fuit Troianorum præda, cùm Pauſanias

Pauſanias in Phocicis Veſontis venationem explicans dicat: οὗτοι οἱ βίσωνες χαλεπώτατοι θηρίων εἰσὶν ἁλίσκεσθαι ζῶντες, καὶ δίκτυα οὐκ ἂν οὕτω γένοιτ' ἰσχυρὰ τῇ ἐμβολῇ: *Biſontes belluarum omnium viui difficillimè capiuntur; nullæ enim ſunt adeò validæ plagæ, quæ irruentis feræ impetum ſuſtineant.* Hinc Martialis lib. 5. de *Carpophoro* Domitiani Imperatoris familiari, cuius in conficiendis feris dexteritatem extollit:

Illi ceſſit atrox Bubalus, atque Biſon.

Exhibebantur enim, vt ex Xiphilino in Seuero notiſſimum eſt, Biſontes in publicis ſpectaculis; βοῶν τι τοῦτο εἶδος (inquit) βαρβαρικὸν τὸ γένος καὶ τὴν ὄψιν: *quod genus eſt boum patriâ, & aſpectu barbarū.* Modum illos capiendi ex Pauſania loc. cit. placet ſubiicere:

Ἐπειδὰν χωρίον οἱ ἀγρεύοντες πρανὲς εὕρωσι καθῆκον ἐς κοιλότητα, πρῶτα μὲν φράγματι ἰσχυρῷ πέριξ ὠχυρώσαντο. Δεύτερον δὲ τὸ κάταντες καὶ τὸ περὶ τῷ πέρατι ὁμαλὸν αὐτοῦ νεοδάρτοις βύρσαις κατεστόρεσαν. ἢν δὲ ἀπορήσαντες τύχωσι βυρσῶν, τότε καὶ τὰ αὖα τῶν δερμάτων ὑπὸ ἐλαίου σφίσιν ὀλισθηρὰ ποιοῦνται. τὸ δὲ ἐντεῦθεν οἱ μάλιστα ἱππεύειν ἀγαθοὶ συνελαύνουσιν ἐς τὸ εἰρημένον χωρίον τοὺς βίσωνας· οἱ δὲ εὐθὺς ἐν ταῖς πρώταις τῶν βυρσῶν ὀλισθόντες, κατὰ τοῦ πρανοῦς κυλίνδονται ἕως κατενεχθῶσιν ἐς τὸ ὁμαλὸν, ἐῤῥιμμένοι δὲ ἐνταῦθα ἠμέληνται κατ' ἀρχάς· τετάρτῃ δὲ ἢ πέμπτῃ μάλιστα ἡμέρᾳ τῶν μὲν ἤδη τοῦ θυμοῦ τὸ πολὺ, ὁ λιμὸς ἀφαιρεῖ καὶ ἡ ταλαιπωρία. εἰ δὲ σφίσιν εἰς τέχνην τιθασσεύειν προσφέρουσιν ἔτι κειμένοις πίτυος τῆς ἡμέρου καρπὸν πρὶν ἐκλέξαντες ἐκ τῶν ἐλαχίστων ἐλύτρων. ἑτέρας δὲ οὐκ ἂν τροφῆς τὸ παραυτίκα ἅψαιτο τὰ θηρία. τέλος δὲ διαλαβόντες δεσμοῖς ἄγουσι, καὶ σὺν μὲν, τρόπον αἱροῦσι τὸν εἰρημένον:

ῥημίνιν : Supinum deligũt locum, & in conuallem decliuem, eum prævalido ſepto vndique muniunt, cliuum denique recentibus boum coriis inſternunt; ſi recentium non ſuppeditarit copia, arida aſperſione olei lubricant. Ibi in equis exercitatiſſimi homines, Biſontes intrà illum ambitum agunt, qui per vncta coria delapſi in præceps ad imam vſque planitiem deuoluuntur; illic ad quartum, aut quintum ad ſummum diem neglecti relinquuntur, tum laſſitudine, & fame debilitati, cadentibus iam animis facilè conficiuntur, ſunt qui ad eos manſuefaciendos artem adhibeant, & iacentibus adhuc pineæ nucis nucleos detractis inuolucris apponant, alium enim cibum nullum bellua tunc appeteret, poſtremò vinculis conſtrictos abducunt: & ad hunc Biſontes modum capiuntur. Ingenioſa ſanè immanes belluas venandi ratio, quá vſos Troianos vix puto, ſed vi, & armorum ope Biſontem debellaſſe.

Quod ſi quemuis ciuium pudeat à ferarum omnium fortiſſimo Biſonte, Ciuitatem ſuam nomen mutuatam eſſe, ſciat vrbem olim nobiliſſimam ab omnium animalium abiectiſſimo (*ſue* ſcilicet) denominatam, Virgilio teſte Æneid. 3.

Signa tibi dicam, tu condita mente teneto,
Cùm tibi ſollicito ſecreti ad numinis aram
Littoreis ingens inuenta ſub Ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba ſolo recubans, albi circum vbera nati,
Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Sciat ab eodem ſpurciſſimo ſue, *Mediolano* datum nomen à Brenno noſtrorum duce, teſte Gotfrido


Viter

Viterbienſi in Pantheo; & Claudiano de nuptiis Honorij & Mariæ:

----ad mœnia Gallis

Condita, lanigeræ ſuis oſtentantia pellem:

Intelligat is Biſontis animalis nobiliſſimi caput ex ære fabricatum à Dropione Deontis filio Pœoniorum Rege Delphos ciuitatem, ad Apollinis oraculum olim pro magno dono miſſum (vt autor eſt Pauſanias loc.cit.) illíque Biſontis æneo capiti ex aduerſo poſitam ab Andriis Andreo ſuæ gentis autori ſtatuam loricam indutam, & ſuprà loricam chlamydem, vt populis ex omnibus mundi partibus eò confluentibus indicarent non niſi à Marte, aut bellicoſa eius progenie animoſiſſimum omnium quadrupedum Biſontem poſſe debellari. Signatos ab ipſis Andriis Græciæ populis Biſonte nummos (fortè in tam pretioſi muneris gratiam) ex noſtro ærario hic addimus, vt eorum quæ de Biſonte retulimus veritas, & antiquitas penitus confirmetur.



VARIA VESONTIONIS & Biſontinorum apud authores nomina; & quare dicta Chryſopolis.

CAPVT XII.

TANTA eſt apud authores nominis Veſontionis confuſio, vt vix alterius Ciuitatis nomen reperias magis immutatum. *Byſantiam*, & *Byſantium Burgundiæ oppidum* perperàm vocat Bonfinius rerum Hungar. dec.1. lib. 4. & dec.2. lib.2. Iulius Cæſar lib.1. de bello Gallico *Veſontionem* nominat, necnon Seneca, & Tullius Tyro in notis veterum: Olahus Metropolita Strigonienſis, Attilæ ſui cap.4. *Beſontionem:* Antoninus Auguſtus in itinerario, vno in loco ſatis benè *Viſontionem*, (quem ſequutus eſt Rhenanus lib. 2. rer. Germanic.) deprauatè in alio *Veſentionem*; Corruptè Iulianus in epiſtolis *Βικεντίωνα*; & Ammianus Marcellinus lib. 20. *Beſantionem*, qui non malè lib.15. *Sequanos Biſontios*, & *Viſontios*, & lib.16. *Veſontium* dixerat: Benè poſt Imperatorem Iulium Xiphilinus in Nerone *Βεσοντίωνα*; interpres eius Blancus *Veſontionem*: Dion Caſſius lib. 38. *ὑεσοντίωνα*: Honterus lib. 2. Coſmogr. rudim. *Viſontion*, carminis gratia; Vadianus in Galliæ deſcriptione quondam *Viſontium*, hodie *Bizantium* vocatam dicit Ciuitatem. Ptolemæus lib.7.

lib. 7. cap. 9. οὐισόντιον appellat; ſed mendum fortaſſis apud eum, dum oppidum quoddam apud Peleudonas in Hiſpania Tarraconenſi οὐισόντιον etiam vocat, quod Latinis *Viſeum* dici ſcribit Villanouanus, nunc *Viſeo*: Hoc multis paraſangis à Viſontio Ptolemæi diſtare docet Gaſpar Varrerius in Chorographia; & Andreas Baccius lib. de Balneis, *vicum aquarium* ab Antonino vocari ait. Rectius ſanè apud Ptolemæum legeretur οὐίσεον, Latinè *Viſeum*, pro oppido illo Hiſpaniæ, quàm οὐισόντιον, quod noſtræ Ciuitati conuenit.

Hæc nominum diuerſitas, varietatem quoque nominis ciuium effecit, quos *Veſontios*, *Veſontes*, *Veſontienſes*, *Veſontinos*, *Veſonticos*, *Viſocenſes*, *Veſontiônes*, *Biſontinos*, *Viſontios*, *Biſontios*, ac aliter etiam dictos inuenies antiquioribus; Poſteriorum verò ſæculorum ſcriptoribus ferè *Biſuntini* dicuntur, O, in V, literam affinem mutato, ſic & ciuitas ipſa *Biſuntium*.

Libellus autem, qui ſub Prouinciarum nomine circumfertur in Prouincia Sequanorum ſic habet: *Metropolis Ciuitas Chryſpolinorum, hoc eſt Veſontiônum*; meliùs legas *Chryſopolitanorum*; Veſontio enim *Chryſopolis* olim dicta fuit. Guntherus Ligurinus lib. 5. *Chryſopolim placidam* vocat; & ita nominatur à *Gaufrido Abbate Altætumbæ* apud Surium, in vita S. Petri Archiepiſcopi Tarentaſij; necnon â Ioanne Sareſberienſi Epiſcopo Carnotenſi epiſt. 234. *Chryſopolim* veniſſe dicitur *S. Bernardus* lib. 2. eius vitæ cap. 5. ab authore æquali. Antiquior Ioannes VIII.

 Rom.

Rom. Pont. epiſt.241. data anno 880. Indict. 13. meminit *Theodorici S. Chryſopolitanæ ſedis Archiepiſcopi*; itémque epiſt. 245. eodem anno data, & alij multi codices, & diplomata, quæ parte 2. citabuntur, aureæ ciuitatis, ſiue *Chryſopoleos* meminerunt. Quare autem ſic dicta fuerit, rationes aliquot addo ex coniectura.

Prima eſt ob pulchritudinem, & ſitus amœnitatem, fortè à SS. Ferreolo & Ferrucio Athenienſibus ſic nominatam fuiſſe; quòd vix credo, cùm parum probabile ſit homines mundo mortuos, & qui vigẽtibus Veſontione perſecutionibus abderẽt ſeſe in cryptis, & locis ſubterraneis, Veſontioni *Chryſopolis* nomen indere, aut voluiſſe, aut potuiſſe. Sed pulchra quandoque priſcis *aurea* dicuntur; ita Virgilio Æneid. 10. *Venus aurea* dicta; ſic Senecæ in Hercule furente, *aureæ Perſei ſtellæ*: Diodoro lib. 1. cap. 11. *aurea templa*, pro pulchris, & magnificis. Forſitan & Chryſopolis nomen ideò in formoſas olim mulieres tranſiit. Lapis Romæ:

1111.8. D. • M.

CHRYSOPOLIDI.

T. • COC•CEIVS

SALVIVS. • FILIAE.

SVAE. • FECIT.

alter

alter in Hiſpania:

D. M. 715.3.

VICTORINÆ.

FIL. ANN. XX.

CHRYSOPOLIS.

MATER.

Secunda ratio eſſe poteſt, quòd aurum in eius territorio effoderetur: Nam aurum apud Celtas erui ſcribit Athenæus, quorum iam Següini Regis æuo Metropolis erat Veſontio, regni totius ærarium, & veluti Saturni ædes. Hoc modo fuiſſe nominatas *Chryſopolim Bithyniæ*, & *Chryſopolim Ciliciæ* refert Georgius Agricola lib. 1. de veterib. & nouis metallis, his verbis: *Ex auro etiam nomen reperit Chryſopolis Ciliciæ, de quâ Polyhyſtor Græcus ſcripſit, & altera Chryſopolis Bithyniæ propè Chalcedonem, quæ ſic dicta, quòd Perſæ cùm Bithyniam imperio tenerent, aurum ex vectigalibus ciuitatum ibi reponerent, vt autor eſt Dionyſius Byzantius.*

Tertia ſit, ſi placet, à *Galla Patriciâ*, aut ab *Helena* matre Conſtantini Magni, quæ Veſontionem celebrem facere in animo habebat, ex Byzantio nomen illud fuiſſe inuectum, à quo non longè abeſt *Chryſopolis* vna, à Sequanis Brenni ſociis, & Comontorio Rege, cum Byſantio Biſontinorum noſtrorum coloniâ, condita.

Quarta denique, propterea quòd ad radices Cælij montis noſtri,

Stat ſacer edomitis gentibus arcus ouans, quem auratum fuiſſe conſtans eſt fama (vnde *auream portam* priſci vocitabāt ciues) vt & antiquas Ciuitatis portas, eam maximè, quæ in editiori Cœlij montis vertice olim conſtituta, nunc occluſa, *porta de Vareſco* vocabatur. Ita apud P. Gyllium legimus, *in Boſphoro Thracio vicum eſſe Chryſoceramum dictum, quòd in eo ſit templum deauratis tegulis tectum.*

CAPVT XIII.

VETERVM BISONTINORUM vana Numina: Columnæ quatuor: Pantheon: Idolium: vetera ſigilla.

VT ſtatim ab initio rem arduam, & intricatam explicem; Quales Dij veterum Gallorum, tales fuêre Biſontinorum. Lactantius, Lucanus, & Minutius Felix *Eſum* ſiue *Heſum*, *Teutatem*, & *Taranem* Deos Gallorum fuiſſe referunt; addit Auſonius in profeſſoribus Burdigalenſibus *Belenum* Deum, pro quo Tertulliani vulgati codices, in Apologet. *Tibilenem* malè habent. Tres priores Deos Martem, Mercurium, & Iouem; quartum Apollinem doctiores interpretantur cum Cæſare lib. 6.

lib. 6. *Natio eſt omnium Gallorum* (inquit) *admodum dedita religionibus, atque ob eam cauſam, qui ſunt affecti grauioribus morbis, quique in prælíis, periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vouent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druydibus vtuntur; quòd pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrantur, publicéque eiuſdem generis habent inſtituta ſacrificia: alij immani magnitudine ſimulachra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent, quibus ſuccenſis circumacti flammâ exanimantur homines; ſupplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliquâ noxâ ſint comprehenſi, gratiora Dijs immortalibus eſſe arbitrantur; ſed cùm eius generis copia defecit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt. Deum maximè Mercurium colunt, huius ſunt plurima ſimulachra, hunc omnium inuentorem artium ferunt, hunc viarum, atque itinerum ducem, hunc ad quæſtus pecuniæ, mercaturáſque habere vim maximam arbitrantur: Poſt hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam. De his eamdem ferè quam cæteræ gentes habent opinionem, Apollinem morbos depellere, Mineruam operum, atque artificiorum initia tradere; Iouem Imperium cæleſtium tenere; Martem bella regere; huic cùm prælio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperunt, plerúmque deuouent, quæ ſuperauerint animalia capta, immolant, reliquáſque res in vnum locum conferunt.*

De Gallorum Diis plura Nicolaus Serarius, Societatis IESV in S. Kiliano cap. 14. Philippus Cluuerius antiquæ Germaniæ lib. 1. cap. 26. & Sebaſtianus

nus Rolliardus initio hiſtoriæ Eccleſiæ Carnotenſis Gallicè cõſcriptæ,ſed hic valdè dubia, & cõtrà Cæſaris,Pliniiq; mentem,nullis,aut obſcuris autoribus.


Sacrorum ſtudioſi Biſontini, Deorúmque ſuorum cultores maximi, in edito iugo *Montis Cælij* ſuæ Ciuitatis, quem nunc *Stephanium* vocant, quatuor Diis ſuis locum cum quatuor columnis olim conſecrarunt, quem vulgus in hanc vſque diem (quòd ibi præcipui Dij colerentur) *Pantheon* appellauit: Cum D. Paulo 1. Corinth.epiſt. 8. εἰδωλεῖον non ineptè vocaueris, hoc eſt, *Idolorum delubrum*,quo nomine vtitur Prudentius in Apotheoſi:

Et quis in Idolio recubans inter ſacra mille,
Ridiculóſque Deos venerans ſale,ceſpite, thure.

Exſtant adhuc hodie omnium ſubiectæ oculis columnæ illæ, non regij alicuius palatij reliquiæ, ſed antiquæ Deorum ſedes (de quibus plura part. 2. in *S. Lino*) dirutæ tamen, vt hîc vides, quæ ex multis lapidibus ſtriatis erant conſtitutæ, indubitata antiquiſſimæ noſtræ Ciuitatis teſtimonia, longè quippè ante Romanorum in Gallias aduentum Diis illis quatuor erectæ; de quibus (Biſontini mei) idem mihi liceat effari,quod de ſtatuis ad Romanos Prudentius 1. contrà Symmachum:

Marmora tabenti reſpergine tincta lauate,
O proceres, liceat ſtatuas conſiſtere puras
Artificum magnorum opera, hæc pulcherrima noſtræ
Ornamenta cluant patriæ, nec decolor vſus
In vitium verſæ monimenta coinquinet artis.

Deorum



Deorum ſtatuæ in columnarum faſtigiis erant collocatæ, quas adductis victimis per vates ſuos ſacra facientes, ſummo cultu venerabantur ciues noſtri. Sed ſtatuarum omnium, quod ſciam, periere fragmenta: vnicum mihi ſupereſt Bacchi, vel Apollinis caput lapideum, ſparſis crinibus radiatum;

(Nam decet intonſus crinis vtrumque Deum)

illi planè ſimile, quod exſtat in auerſa parte numiſmatis L. Plautij apud nummographos, quod non temerè ſuſpicer veteris Idoli fragmentum.

Ararum nulla ſuperſunt veſtigia, fortè quia (vt Feſtus) priſcis illis temporibus, menſæ in ſacris, ara-

rum vicem obtinebant, aut certè ceſpites virides; minori enim, quàm poſteà apparatu Dij tunc colebantur; Virgil. Æneid. 12. —*parabant,*

In medióque focos, & Diis communibus aras
Gramineas.

Iuuenalis. Saty. 10.

Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Iuppiter auro;
Illa domi natas, noſtráque ex arbore menſas
Tempora viderunt, hos lignum ſtabat in vſus,
Annoſam ſi fortè nucem deiecerat Eurus.

Antiquiſſimum Veſontionis ſigillũ, (quod ſeruatur in Archiuo Ciuitatis,) priſcas illas quatuor Idolij columnas ſequaci ceræ impreſſum demonſtrabat, vt hîc vides, quod poſteà immutatum Aquilam alis expanſis retulit, additis duabus columnis tantùm, vti moneta Ciuitatis aurea, & argentea notata conſpicitur, quam ex altera parte *Carolus V.* Imp. vultu ſuo voluit inſigniri.



DRVI

DRVIDES BISONTINORUM ſacerdotes; eorum religio ab Imperatore Claudio abolita.

CAPVT XIV.

VT Druides Gallorum omnium, ſic Biſontinorum quoque fuère Sacerdotes, de quorum inſtitutis & Religione ſic Cæſar lib. 6. *Illi* (Druides) *rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica, ac priuata procurant, Religiones interpretantur, Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſâ concurrit; magnóque ij ſunt apud eos honore; nam ferè de omnibus controuerſiis publicis, priuatíſque conſtituunt; & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controuerſia eſt, iidem diſcernunt, præmia, pænáſque conſtituunt; ſi quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt; hæc pæna eſt apud eos grauiſſima: Quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorum, ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonémque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt vnus, qui ſummã inter eos habet autoritatem; Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit; at ſi ſunt plures pares ſuffragio*

Druidum adlegitur; nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in loco conſecrato; huc omnes vndique, qui controuerſias habent, conueniunt, eorúmque iudiciis, decretiſque parent. Diſciplina in Britanniâ reperta, atque inde ad Galliam tranſlata exiſtimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò, diſcendi causâ proficiſcuntur. Druides à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vnà cum reliquis pendunt; Militiæ vacationem, omniúmque rerum habent immunitatem: Tantis excitati præmiis, & ſuâ ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à propinquis parentibúſque mittuntur: magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplinâ permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, cum in reliquis ferè rebus publicis, priuatiſque rationibus Græcis literis vtantur. Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quòd neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos qui diſcunt literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod ferè pleriſque accidit, vt præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant. In primis hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab iis poſt mortem tranſire ad alios; atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa prætereà de ſideribus, atque eorum motu, de mundi, ac terrarum magnitudine, de rerum naturâ, de Deorum immortalium vi, ac poteſtate diſputant, & iuuentuti tradunt. Hæc Cæſar. Degebant autem noſtri Druides (vt fama eſt) in monte Iouis Biſontino, vbi

Ad

Ad viſcum Druidæ, Druidæ cantare ſolebant:

Frequens enim ibi conſita tunc erat quercus, vnde illis nomen, quòd ipſam & eius viſcum magno in honore haberent. Plinius lib. 16. cap. vltimo: *Nihil habent Druides (ita Galli ſuos appellant magos) viſco, & arbore, in qua gignatur (ſi modo ſit robur) ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra ſine eâ fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græcâ poſſint Druidæ videri. Enimuerò quidquid adnaſcatur illis, è cœlo miſſum putant, ſignúmque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu, & repertum magna religione petitur, & ante omnia ſextâ lunâ, quæ principia menſium, annorumque his facit, & ſæculi poſt triceſimum annum, quia iam virium abundè habeat, nec ſit ſui dimidia, omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo; ſacrificiis epuliſque ritè ſub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur: Sacerdos candidâ veſte cultus arborem ſcandit, falce aureâ demetit, candido id excipitur ſago, tum deinde victimas immolant, precantes vt ſuum donum Deus proſperum faciat his, quibus dederit; fœcunditatem eo poto dari cuique animali ſterili arbitrantur, contráque venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio eſt.*

Impium hoc Magorum genus, diuerſo genere victimarum Diis ſuis ſacra faciebat, humanarũ etiam maximè Marti, vt ex Cæſare retulimus. Quæ dira conſuetudo Romanis occaſionem dedit crudelem ſuperſtitionem damnandi. Claudius enim Im-

perator ritus eorum penitus ſuſtulit. Plinius lib. 30. cap. 1. *Cneo Cornelio Lentulo, & P. Licinio Craſſo Coſſ. Senatuſconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palámque in tempus illud ſacra prodigioſa celebrata. Gallias vtique poſſedit, & quidem ad noſtram memoriam*: *Namque Tiberij Cæſaris Principatus ſuſtulit Druidas eorum.* Claudium intelligit, qui *Tiberius* etiam dicebatur, de quo Suetonius: *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm ciuibus ſub Auguſto interdictam penitus aboleuit.* Seneca in ludo de Claudij morte: *Druidarum perfidæ gentis Gallicæ illius immanem religionem prorſus exſtirpauit.* Sed, quî Druidas Tiberius Claudius ſuſtulerit, intellectu difficile videtur, quãdoquidem eorum ſub Vitellio meminit Corn. Tacitus in libris annalium, & Lampridius in Alexandro, necnon Vopiſcus in Aureliano; niſi (vt monuit Pithœus in aduerſar.) ſolum ritum illum deteſtabilem, humanas hoſtias immolandi ſublatum intelligamus, non autem vniuerſam Druidarum gentem.

Quicquid ſit, prohibitis veterum Gallorum ſacris, Romani ſuæ religionis ritum Biſontinos docuêre; Hi templa Diis tam multa ſubitò conſtruxêre, vt breui tota plena numinibus fuerit Veſontio, poſtquam more Romano cœperunt

------portis, domibus, thermis, ſtabulis, ſoleatis,
Adſignare ſuos genios, pérque omnia membra
Vrbis, pérque domos geniorum millia multa
Fingere.

VETE

VETERVM LOCORVM, DIIS & Deabus apud Biſontinos olim conſecratorum, Sequanica nomina cum Romanis collata.

CAPVT XV.

BISONTINORVM antiqua Religio à Romanis mutuata nulla ratione meliùs comprobari poteſt, quàm per denominationes locorũ, qui Diis olim erant conſecrati, nunc nihil, aut parum immutatas, tum per effoſſum in locis illis ſacris

Conciſum argentum in titulos, faciéſque minutas;
Denique ex veteribus templorum veſtigiis.

Huiuſmodi locorum in Ciuitate nomina ſunt.

ROMANA.	*SEQVANICA.*
Mons Cœlius, poſtea Stephanius.	*Le mõt S. Eſtiẽne.*
Sacra ſepta.	*Les clos.*
Campus Martius.	*Le Champ-Mars.*
Charitum Mons.	*Charmont.*
Collis Romæ.	*Romchau.*
Campus Carnæ.	*Champ-Carno.*
Vicus Caſtoris.	*Rüe de Chaſteur.*
Vicus Rheæ.	*La Rhee.*
Vicus Luæ.	*Rue de la Lüe.*

Vicus

Vicus Veneris.	*Rue de Veñie.*

EXTRA CIVITATEM.

Mons Iouis.	*Mont-Ioüot.*
Mons Mercurij.	*Mercuro.*
Mons Termini.	*Montermo.*
Mons Delij.	*Mant-Delie.*
Collis Marini,ſiue Neptuni.	*Charmarin.*
Campus Bacchi.	*Champ-Vacho.*
Cãpꝰ Dei Fabri,ſiue Vulcani.	*Champ-forgeron.*
Campi Veſtæ.	*Champs de la Veſte.*
Mons Brigillæ.	*Mont de Brigille.*
Portus Iani.	*Port-Ioan.*
Campus Iſis.	*Chal' Eſe.*
Campi Eleuſini.	*Chal' Eſeule.*
Collis vel campus Muſarum.	*Chamuſe.*
Campi Pales vel Mineruæ.	*Pallante.*
Collis Dianæ.	*Chau-Dane.*
Collis Lucinæ.	*Challuc.*
Prata Pandæ, vel Pandoræ.	*Prels de Pandor.*
Mons Roſarum.	*Roſemont.*

Ad quarum vocum faciliorem intellectum, obſeruandum eſt (quod iam docuimus in Dædalmatis noſtris, quæ quia typographicis mendis ſcatent breui correctiora reddemus, & auctiora) *Chau* vetus Celticum verbum fuiſſe pro colle, vt *Champ*, pro Campo ; pauca enim reperiuntur vocabula Gallica à Latinis orta incipientia à *C*, ſequente vocali *A*, vel *O*,quæ non habeant *H*,poſt *C*.Sic carduus,*chardõ*, carmen,

carmen, *charme*; Caſtellum, *Chaſteau*; caput, *chef*; cancer, *chancre*; carrus, *chariot*; carbo, *charbon*; caro, *chair*; canis, *chien*, & ſexcenta alia. Atque vt Latini ſæpe *O*, in *Au*, mutarunt, vt *olla*, in *aula*; *oricula* in *auricula*, &c. ſic veteres Celtæ pro colle, *Chau*; pro colle Dianæ, *Chaudiane*; pro colle, vel campo Muſarum, *Chamuſe*; pro Caſtore, *Chaſteur*, &c. reddiderunt.

MONS COELIVS: CAPITOLium: Forum: Sacra ſepta: Templa: Pauimenta: Gemmæ: Nummi varij.

CAPVT XVI.

MONS Stephanius noſter (Cæſari lib. 1. vbi Veſontionem deſcribit, *mons magnâ altitudine, ſpatium non amplius pedum ſexcentorum continens, cuius radices ex vtráque parte ripæ fluminis contingunt, quem murus circumdatus arcem efficit, & cum oppido coniungit:* Iuliano verò in epiſtolâ ad Maximum Philoſophum, *Rupes excelſa, ipſis propemodum auibus inacceſſa, niſi quà flumen ambiens, tanquam littora quadam habet proiecta)* Cœlius olim dictus fuit, ex fidis, nec popularibus manuſcriptis, ad imitationem Romæ Cœlij, qui aut à Cœlio Vibeno Duce Tuſco, aut à Cœlio Saturni patre no-

men acceperat. In eius faſtigio viridi gramine, & ſuaueolentibus herbulis coronato, ad veterem portam *de Vareſco* ſiuè (vt eſt in veteri rituali S. Stephani) *Portam Varaſconorum*, nunc occluſam

------concaua pulſu

Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.

In imo verò Capitolium olim conſtitutum. Sic probatiſſimus manuſcriptus liber, quo vtor, de D. Maximino Archiepiſcopo Biſontino: *videns* (S. Maximinus) *Baſilicam non poſſe capere Chriſtianorũ multitudinẽ tam ingentem, quandam domum in foro Ciuitatis iuxta Capitolium conſecrauit in honore S. Ioannis Baptiſtæ:* quod templum etiam nunc in radice montis Cœlij, *in Platea Quintinia* conſtitutum eſt.

Quod ad Sacra ſepta attinet, in iis quotidie veterum templorum ruinæ deteguntur, quæ priſci exornabant *------Græcis, longéque petitis*

Marmoribus,

vt fragmenta diuerſicoloria, & columnæ variæ è marmore (quas *fuſos lapides* vulgus vocat) abundè teſtantur; *------varias ibi picta per artes*

Gaudet humus,

teſſellis diuerſa emblemata effingentibus adeò prægnans, vt vix locum offendas, quem olim ſacrum fuiſſe leuis ſit ſuſpicio, in quo integra pauimenta non detegas calculis, & omne genus coloribus aptata, qui quidem, & florum, & vaſorum, & animalium effigies imitantur. *Muſiuum opus*, & *Muſiuarios artifices*, vocant recentiores.

Iulium

Iulium Cæſarem huiuſmodi pauimentis Veſontionem primum ditaſſe arbitror, quem in expeditionibus teſſellata, & ſectilia pauimenta circumtuliſſe Suetonius annotauit.

Gemmas ſignatorias habeo quamplurimas, in ſeptis erutas, & ſacris collibus, quibus Deorum, Dearúmque, & aliquot Imperatorũ inſculptæ ſunt effigies.

Denique quiſquis ille ſit in Europâ veteris monetæ ſpectator, *Is ipſe tantùm non habet,*

----Argenteorum Ænigmatum,

quàm multi effoſſi à priſcis illis ſæculis Veſontione Cæſarum nummi, optimæ, & antiquiſſimæ notæ, ex quibus ærarium hiſtoricum penè completum habeo, iiſque non ad exemplar Archetyporum fuſis, & adulteratis, pigmentíque, aut aquæ fortis attritu vetuſtatem ementientibus, ſed legitimis, & verè antiquis, aureis, æreis, argenteis, de quibus omnibus in genere Claudius Chiffletius Patruus meus lib. de antiq. numiſmate nondum edito.

Sed denarij Romani veteres viticolis noſtris perſæpè occurrunt, in quibus nulla eſt inſcriptio Conſulis, aut alterius dignitatis, ſed tantùm in anticâ parte caput Romæ galeatum, cum notâ X; in poſticâ verò bigæ, quadrigæ, gemini fratres, aquila, lupa,&c.abſque vllâ epigraphâ, præterquam ROMA: Similes ad incertam familiam referunt Fuluius Vrſinus, & Gorlæus: Ego verò puto illos eſſe omnium antiquiſſimos, & Romæ ſignatos, longè ante deſi-

 gnatum

gnatum à Plinio tempus, cùm nondum tanta eſſet cura autoribus nominis publicandi, tantúmque cuderentur in gratiam Vrbis Romæ, non alterius dignitatis.

Conſularium porrò nonnulli ſerrati ſunt circà oras, quos viri docti ita exaſperatos putant, vt facilius falſariorum fraus agnoſci poſſet. Incidi tamen nuper in *Scipionis Aſiagetis* nummum ſerratum, qui & ſubæratus erat; adeò frequens, & antiqua, imò perpetua fuit artificum malitia. Occurrunt etiam nummi argentei, *Vmbini* Tullio dicti in orat. pro Fonteio, quod in iis nota capitis in medio extuberet, ad ſimilitudinem Vmbonis, qui eſt ſcuti pars media, & protuberans; *Incuſos* recentiores vocant, quaſi *intus cuſos*; malleo enim ſuper formâ, ſiue typo concauo percuſſi ita ſignabantur, vt pars,quæ à ſuppoſito typo excauato figuram acciperet, conuexa eſſet; altera verò quæ percuteretur, cedente lamina, conuexæ ſimilis notâ fieret, ſed concaua. Pleroſque tales exhibuit Gorlæus in theſauro Numiſmatum.

Sed vnde tot, & tam variis reperti locis nummi? ſpargebant illos in ludis,in ſacris,aliquãdo deponebant in templis,& verò etiam offerebant in poculis, quæ,quia vetuſtate rubiginem contrahebant,*Pocula adorandæ rubiginis* vocauit Iuuenalis Saty. 13. cuiuſmodi in Chryſopoli noſtra effoſſum ſeruo; cuius figuram habebis ſuo loco.

CAMPI

CAMPI MARTIS, ET Carnæ: vici Romæ & Veneris.

CAPVT XVII.

PRIMVM inter Campos ſacros locum ſibi vendicat *Campus Martius Biſontinus, inter Ciuitatis mœnia, & propugnacula clauſus, pratis, vineis, fluuióque delectabilis, vbi plurimi fuêre martyrio terminati*; ex antiquo codice manuſcripto. In eo fiebant olim Comitia, & à templo Martis (vt Romanus) nomen habet, cuius inuentæ nuper reliquiæ, pauimenta teſſellata, marmora, & nummi Imperatorij in vineis quibuſdam intra ipſius Campi Martij ſepta.

Sequitur collis, qui Romæ ſacer erat, nunc explanatus, quē priſcos Biſontinos ei in ſuo territorio dicaſſe nemini mirum eſſe debet, cui templum Alabadenſes ſacrauerant, tanquam Deæ. Liuius lib. 45. *Alabadenſes templum vrbi Romæ ſe feciſſe commemorauerunt, ludóſque anniuerſarios ei Diuæ inſtituiſſe*; Et Prudent. 1. contra Symmachum:

Ac ſacram reſonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ, colitur nam ſanguine & ipſa
More Deæ, noménque loci, ſeu numen habetur
Atque vrbis, Veneríſque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura Deabus.

Vt igitur Romæ, & Veneri alibi olim templa, ita

collem illi, nunc vicum; huic vicum conſecrauerat Veſontio, cui vicus quoque in Vrbis regione quarta, quinta, & vndecima.

Carnæ verò, ſeu Cardineæ, quæ cordi, cæteríſque vitalibus humanis præeſſe credebatur, non collem, vel vicum, ſed campum, & in eo ſacra more maiorum Biſontinos inſtituiſſe comperies, eo quòd nocturnas ſtriges, puerorum cunas infeſtantes, à limine domus ſummoueret, de quâ Ouid. 6. faſtorum.

Prima dies tibi Carna datur, Dea cardinis hæc eſt.

PORTVS IANI: VICI CAſtoris, & Rheæ: mons Brigillæ.

CAPVT XVIII.

O *Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,* tibi tuus erat olim Veſontione portus, & ſacer locus, vt iure Diuûm antiquiſſimo, Gallorum antiquiſſimi Biſontini ſacra facerent.

Caſtori quoque vicum conſecratum ne mireris Lector; famæ & nominis immortalis cupidiſſima Veſontio, Pollucis immortalitatem, fraternâ Caſtoris appellatione perennitati conſecrauit, variis ſæpe afflictata caſibus: Idque vt

Naufraga Ledæi ſeruarent vela Lacones.

Parens Idea Deûm — (*ſi numina naſci*

Credimus

Credimus, aut quemquam fas eſt cœpiſſe Deorum) non Dindyma ſolummodo, ſed & turrigeras cordi vrbes, & ciuitates habuit, Gallicas præcipuè, quæ & Gallis vtitur ſacerdotibus apud Lucretiū li.2. quamquā à *Gallo* Phrygiæ fluuio ſacrificulos eius dici malim, cuius quidem fluminis hauſtâ aquâ in rabiem, furorémque verſi, per deuia curſitabant. Certè quia Deorum genitrix apud Poëtas effingitur, in tantâ eorum multitudine, quibus Biſontini diuinos honores delubris paſſim excitatis detulêre, Ῥεία θεῶν βασίλισσα, καὶ ἁπάντων μήτειρα, (ex Demetrio Biſantio libro 1. poëmatum,) deſiderari non debuit; Viculus illi ſacer Veſontione *Rheæ* nunc etiam nomen retinet; quæ appellatio ſi in Cybelem, quæ *Berecynthia*, *Phrygia*, & *Brigia* olim dicta, & corruptè *Brigilla*, commutetur; habes hìc extrà Vrbem montem *Brigillæ*, de quod illud Ouidij iactes:

Inde regent toruos Cybeleia frena leones.

VICVS LVÆ: MONS CHAritum: Campi Vulcani, & Veſtæ.

CAPVT XIX.

ROMANOS à Deabus vicos denominaſſe, clarè demonſtrat regionum vrbis Romæ apud Onuphrium deſcriptio. Horum æmulos Biſontinos idem feciſſe, Vici *Veneris*, *Caſtoris*, *Rheæ*, & *Luæ* (de quâ nunc) ſatis oſtendunt.

oſtendunt. Lua autem litationum, ſiue expiationum fuit Dea, de qua Liuius lib. 8. *armorum vis magna cum inter cæſa corpora hoſtium, tum in caſtris inuenta eſt, ea Luæ matri dare ſe Conſul dixit.* Et lib. 45. *precatus Martem, Mineruam, Luámque matrem, & cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius, fáſque eſt;* quaſi illatam iniuriam partâ victoriâ hoſtes luant, & mulctentur à victoribus pro iure violato, vel quacumque aliâ legitimâ belli inferendi per fæciales causâ.

Charmoniæ in Iberiâ poſitæ Ptolemæus meminit, quæ à Pompeio in editiori cliuo excitata etiam nunc à Charitibus nomen habet: Cur non & Chryſopoli credemus Charitibus, & Gratiis ſacratum olim montem à Romanis fuiſſe? Idem Charitum nomẽ quoque datum ſeruatæ portæ regionis huius; quia nihil Veſontio ſine Gratiis, & grati animi ſignificatione accipit beneficij: in illo monte iunctæ Nymphis Gratiæ decentes, alterno pede terram quatiebant, dum graues Cyclopum officinas vrebat Vulcanus in Campo vicino, qui *Campus Fabri* à plebe appellatur,

Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus:

dictus enim olim Vulcanus & *Ignis*, & *Faber*. Prudentius: *---ipſe ignis noſtrum qui ſeruit in vſum*
Vulcanus perhibetur, & in virtute ſupremâ
Fingitur, ac delubra Deus, & nomine, & ore
Aſſimilatus habet, necnon regnare caminis
Fertur, & Æoliæ ſummus Faber eſſe vel Ætnæ.

Alterum

Alterum ignem etiam à Romanis cultum, nempè Veſtam in campo peculiari coluit Veſontio, propè Pallantæum; Etenim (vt cecinit Ouid.3. Triſt.)

Hic locus eſt Veſtæ, qui Pallada ſeruat, & ignem.

MONS MERCVRII: CAMpus Muſarum: Collis Bacchi.

CAPVT XX.

MERCVRIVS frequens in Biſontinorum terris ſub variis figuris repertus, priſcæ vetuſtatis Biſontinæ argumenta multa ſuppeditat. Huius viarum atque itinerum Ducis, ex veteri Iaſpide hîc reperto, hanc habeo Imaginem.



Suidas, & Plutarchus in Academiis municipalibus nudo corpore, duabus alis, quaſi pinnis in capite aſſurgentibus, pingi ſolitum referunt: Et certè quis hunc eloquentiæ, & ſcientiæ Deum ignorat? Signum eius æneum cum crumenâ in manu ſiniſtrâ (*præerat* enim *mercaturæ*, ex Cæſare) in agro Biſontino effoſſum ſeruat Generoſus Eques D. Fridericus Chauiræus, Gubernator Ciuitatis, Duumvir in Tribu Arenarum; Ego quoque ſimile in meo Muſæo ſeruo eadem, quâ Suidas refert, ſpecie, quod municipales Biſontinorum ſcholas ſatis conuincit, & Muſarum delicias, quibus quia bene conſecrabantur horti, ſalubréſque, ac peramœni, ac floribus conſiti colles, & campi,

Rura, nemúſque ſacrum, dilectáque iugera Muſis
Signat vicina quartus ab Vrbe lapis;

ab vrbe inquam Veſontinâ, nō ſecus ac à Romanâ.

Vt autem Mercurius (cui mons apud Biſontinos ſacer) inter Muſas numeratur, ſic & Bacchus, cui (quia *colles amat*,) collem noſtri conſecrarunt, vel ſi placet Campum, in quo Libero Patri ſacra Liberalia quotannis peragerentur, quæ C. Cæſar primus Romæ celebrari iuſſerat adulto autumno, vnde & *Vindemialia* dicebantur; Cur enim illa noſtri prætermiſiſſent, qui tam ſedulò vites ſuas ſemper excoluerunt, vt vix in totâ Galliâ ſolum reperias vuarum feracius Biſontino, iuréque dici poſſit,

Terra ferax Cereris, multóque feracior vuis.
Hæc iuga, quàm Niſæ colles, plus Bacchus amauit;

Ex his

Ex his enim vinum quouis Falerno generoſius colligunt ciues, ab eo tempore, quo *Elico* Heluetius Faber, primus vuas, & ficus in Gallias iutulit ex Plinio lib. 12. cap. 1. non autem Probi Imperatoris principatu, vt Euſebius, & Vopiſcus referunt. Laudatus enim Plinius longè antè Probi tempora, vitium Sequanicarum meminit lib. 14. cap. 1. *Iam inuenta vitis* (inquit) *per ſe in vino picem reſipiens Viennenſem agrum nobilitans, Aruerno, Sequanóque, & Heluico generibus non pridem illuſtrata.*

MONTES IOVIS, TERMINI, Delij, & Vandalorum: collis vel campus Neptuni.

CAPVT XXI.

IVPITER ſub variis à Priſcis cultus eſt nominibus, *Statoris, Capitolini, Lapidis*, &c. Sub duobus à Chryſopolitanis in pretio fuit habitus totidem in locis, quorũ vnus ſimpliciter *Mons Iouis*, alter, (quem *Hermeti* ſacrum aliqui opinantur) *Mons Termini* dicitur; Terminus enim Deus, *Iupiter Terminalis* vocabatur, *quod in eius tutela*, inquit Feſtus, *eſſent agrorum fines*, cui ſacra faciebant non cæſis hoſtiis, ſed liba cerealia, & frugum primitias offerentes; lapidibus in finibus conſtitutis, quos Ioui Terminali ſacros eſſe voluit Numa,

ma, ex Dionyſio lib. 2.

Nec ſemper Phœbo gaudet Parnaſſia rupes; Aureæ ciuitatis rupes inuiſit Apollo, *Delius* à Delo dictus, cultus in monte proprio vbi ſacerdos,

Vittis, & ſacra redimitus tempora lauro

ſolebat vaticinari. Ad cultus eius confirmationem facit vetus lapis erutus è puteo domus Illuſtrium Achæorum Veſontione anno 1591. cuius ſic notatam inſcriptionem à Ioanne Chiffletio patre meo reperi.

APOLLI. ET. MERC.
ESVCCVS. MINERV. ST.
BICCVS. VL. RI.
V. S. L. M.

Hunc Delij montem, poſteà *Vandalorum* dictum conſtat, ex vitæ S. Antidij cap. 10, quod indè Vandali Veſontionem obſederint.

Suus prætereà Deo Marino, ſiue Neptuno collis vel cãpus, qui Gręcis ἵππιος, Latinis *equeſter* dictus, quòd primus artem equitandi inueniſſe credatur, Diodoro lib. 6. cap. 15. quam Sequanos noſtros ab eo didiciſſe, ſi Poëtarum more fabulari vellemus, cur coniectare non liceret? quos Lucanus optimè frænis equos domuiſſe teſtatur lib. 1. Necrologium vetus S. Pauli Biſontini, notat 5. Id. Octobr. obitum *Roberti Canonici S. Stephani, qui dedit S. Paulo vineam ſitam in Campo Marino Biſontino*; quod addimus ne quis hæc nomina alioquin antiqua nos ſomniare putet.

CAM

CAMPI PALES, MINERVAE, Cereris, Iſis: Prata Pandæ, vel Pandoræ.

CAPVT XXII.

DE quoque magna Pales, annon venerabantur Biſontini, quæ pabulis præeras, & paſtoribus? an tuus *Palantæum* dictus iuxtà Ciuitatem campus, in quo vetus, & nobilis Chiffletiorum villa? Illum tibi videtur ademiſſe Marlianus in Indice ad Cæſarem, & Mineruæ potius aſſignaſſe, quæ Pallas dicebatur vel à Pallante Gigante occiſo, vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, id eſt, *ab haſta vibranda.* Ego verò tibi potius deuotum reor, ex villæ veteri ſigillo, quod præ manibus eſt, circà quod inſcriptum NOBILE PALANTEVM: & in medio, ouis cum ramo quercino, Palilium forſan ibi olim celebratorum haud leue indicium: Locus eſt amœniſſimus, in quem more maiorum ſecedere ſoleo, ſecretioribus Muſis vacaturus. Aureum nummum Conſtantij Cæſaris illic nuper effoſſum ſeruo, cum aliis æreis, & argenteis pridem ibi repertis.

Cereri collem, lucum, & campos deuouit antiqua Veſontio Sequanici Domina, iuxta ſuum *Palantæum*, ſub cognomine Eleuſinæ, cui campi olim

Romæ ſacri, vt narrat Plutarchus in Ariſtide: Recte iuxtà *Palantæum*, quam Deam primùm ab Arcadibus *in monte Palantio* coli cœptam fuiſſe tradit Dionyſius lib. 1. cui ſi terra fructus denegaret, ſacrificiis ſuis vota perſoluebant.

Pandam etiam Cererem dictam à priſcis volunt recẽtiores aliqui, ex Nonio, & Agellio; Huic ex altera Dubis parte prata conſecrata, ex aduerſo camporum Cereris Eleuſinæ, niſi quis malit illa *Pandoræ* tribuere, quæ ab Heſiodo in Theogon. omnium Deorum ornata donis effingitur.

Iſim quoque, (quam eamdem eſſe cum Cerere arbitratur Diodorus lib. 1.) ab Ægypto, in ſua templa deduxerunt Romani, ab his noſtri religiosè coluerunt, terræ quippè primam cultricem & legum inuentricem. In illo *Iſidis* colle, vel *campo, Iſidis* ſacra, anſere, & vitulâ mactatis antiquos feciſſe, ex loci antiquitate coniiceres.

AN CAII, ET LVCII Cæſarum, vel C. Iul. Cæſaris lucus; an collis Lucinæ, nemus Biſontinum: Collis Dianæ.

CAPVT XXIII.

E*ST nemus arboribus denſum, ſecretus ab omni Voce locus*, collem longiſſimum operiens, tribus ad ſummum milliaribus à Ciuitate diſtans, à vulgo *Challuc* nuncupatum: Illud ſi repentè ingrediaris, ſubitò priſcam diuinitatem exodorêre; vt enim Seneca epiſt. 41. *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis, frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmouens; illa proceritas ſyluæ, & ſecretum loci, & admiratio vmbræ in aperto tam denſæ, atque continuæ, fidem tibi numinis facit.*

Claudius Chiffletius I. C. Patruus meus cenſebat nemus illud Caio, & Lucio Cæſaribus Auguſti filiis à Biſontinis fuiſſe conſecratum, vt olim Romæ. Auguſtus in fragmento Ancyræ, quod Breuiarium Imperij ſui continet, ita loquitur:

NAVALIS. PRAELII. SPECTACVLVM. 31.
POPVLO. EXHIBVI. AD. TIBERIM. IN.
QVO. LOCO. NVNC. NEMVS. EST. CAESARVM.

Virorum

Virorum enim nobilium, ſeu Heroum animas in lucis, & nemoribus habitare veteres crediderunt. Virgil. Æneid. 6.

Dicite fœlices animæ, túque optime vates,
Quæ regio Anchiſem, quis habet locus? illius ergo
Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.
Atque hic reſponſum paucis ita reddidit Heros;
Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

& 9. Æneid. ——*luco tum fortè parentis*
Pilumni Turnus ſacratâ valle ſedebat.

Hos autem inter Heroas habitos non dubium, *qui,* (inquit Cornel. Tacit. 1. annal.) *necdum poſitâ puerili prætextâ, Principes iuuentutis fuerunt appellati*, vt fidem facit Auguſti nummus argenteus vulgaris, vbi Caij, & Lucij effigies cum clypeis, & haſtis, ſignis pontificalibus, & auguralibus, & talis inſcriptio. C. L. CAESARES. AVG. F. COS. DES. PRINC. IVVENT.

A tanti viri ſententiâ, inſignis Sequanorum omnium, maximéque Biſontinorum in Caium Iulium Cæſarem amor reuocauit aliquando Gaſparem Deſpototium, Fiſci Biſontini Aduocatum, Sororium meum, ita vt putaret ipſi Caio Iulio Cæſari, lucum potius fuiſſe ſacrum; Is quippe in Deorum numerum poſt mortem relatus eſt;

—— (*habitarunt*, autem, *Dij quoque ſyluas*)

& diuinis apud noſtros dignus honoribus, quòd illos ab imminente Ariouiſti tyrannide liberaſſet, & pecu

peculiariter adamaſſet, quos etiam in ſua fide, & amicitia fuiſſe permanentes ipſe teſtis eſt in ſuis commentariis. Optimi in ipſum affectus exemplum præclarum habemus inſtar multorum in *Capeno* illo *Sequano*, qui apud Florum in Epitome T. Liuij *Brutum* Cæſaris interfectorem, iuſſu Antonij propria manu interfecit, egregius ſanè Cæſaris vindex.

Necdum conquieui in illa opinione,

-----Nouam ſemper dant otia mentem:

Iunoni poſtea collem ſacrum credidi, vt in Vrbe

Monte ſub Eſquilio multis incæduus annis
Iunonis magnæ nomine lucus erat.

Ea priſcis *Lucina* dicta fuit. Catullus carmine 35. ad Dianam: *Tu Lucina dolentibus*
Iuno dicta puerperis.

Hæc eadem cum Dianâ cenſetur, ſub quo nomine ſacer illi collis Veſontione. Horat. 3. Carm.

Montium cuſtos, nemorúmque virgo,
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis.

Vnde in montibus, & nemoribus habitare credebatur, & puerperis auxiliari, vt ex Catullo, & Horatio vides; nam ſtatim nata obſtetricata eſt matri in partu Apollinis, & cùm parturientis dolores agnouiſſet, indignata, & auerſata mares, virginitatem vt perpetuò coleret à Ioue conſecuta eſt: Oceani puellas ſexaginta accepit in ſocietatem, quæ retia ſibi, ſagittas, & arcus in venationem pararent.

Habeo ſignum Dianæ æreum (quod hîc appi-



ctum vides.) in agris noſtris effoſſum cum bicorni Lunâ in capite, arcu in manu ſiniſtrâ, altè ſuccincta veſte, & mammis turgentibus, qualem depinxit Minutius Felix.

In noſtro Dianæ colle, gentium ſuperſtitionibus abolitis poſt ſuſceptam Chriſti fidem, *Leontius* in ordine Biſontinorum Præſulum decimus quartus *Cœnobium Monialium* exſtruxit, quæ perpetuò inibi virginitatem colerent. Adhuc ſuperſunt veſtigia

ædis,

ædis, & area monaſterij viſitur, vbi nunc ſolida, & antiqua *turris*, quam vulgo *Dianæ* vocant.

Dianæ collis in vetere Româ (cuius æmulam fuiſſe Veſontionem ex aliis monimentis intelligere eſt) meminit Martial.lib.7.

Eſquiliis domus eſt, domus eſt tibi colle Dianæ.

DE MONTE RORIS, vel roſarum.

CAPVT XIV.

DVDVM ſanè hæſi in inquirendo, cur collis quidam Ciuitati vicinus, *Roris* vel *roſarum* nomen fuiſſet adeptus; in quo non niſi

Carduus, & ſpinis ſurgit Paliurus acutis,

necdum verum ſum expiſcatus, ſed ſaltem veriſimile; Iuuent Doctiores. Falluntur qui ab Odone *De Rubeo monte* Archiepiſcopo, qui caſtrum ibi excitauerat, ita nominatum putant, cùm in inſtrumentis Odone antiquioribus ſic vocetur.

Conieci itaque aut Veneri ſacrum fuiſſe montem, in quo roſæ illi olim ſacræ colerentur. Antiquus poëta de roſâ:

Sideris, & floris eſt Domina vna Venus.

aut ſepulcra, ſeu monumēta quædam Veſontionenſium in illo monte fuiſſe (vt aliquando reperta ſunt)

quibus roſas quotannis adhiberi iuberent Romano more, vnde fortè monti nomen. Ita Rauennæ vetus eſt inſcriptio, quæ teſtatur *Tiberium Claudium* Imperatorem, ob memoriam *Druſi* patris, certam pecuniarum ſummam quibuſdam dediſſe, ſub ea conditione, vt quotannis roſas ad monumentum eius deferrent; aliam quoque huic ſimilem refert Hieronymus Magius 2. miſcel.c.17. Coniecturam iuuat Anacreontis autoritas, qui Ode, *de Roſa*, ſic canit:

τόδε καὶ νοσῦσιν ἀρκεῖ
τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει:
Quid dicam? & illa multis
Medicina certa malis
Nec inutilis ſepultis.

Roſas autem ſepulchris admouebant, quia humanæ fragilitatis apud Ægyptios erant hieroglyphica. Maro vel Auſonius, quiſquis ille ſit, *in Roſis*:

Quàm longa vna dies, ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.
Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eous
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.
Collige virgo roſas dum flos nouus, & noua pubes,
Et memor eſto æuum ſic properare tuum.

Valeat quantum poterit coniectura; an hæc melior quæ non *Roſarum*, ſed *Roris montem* dicit? Ei ſua non deeſt ratio; Aduertunt enim ciues quoties rore vel pruinâ ſummus vertex veluti coronatus eſt, cæteris collibus adiacẽtibus aëre ſereno circundatis, toties pluuiam

pluuiam imminere : Hinc aliqui *Roris montem* non *roſarum* dicunt. Pars huius collis, quæ Orientem reſpicit, ab amœnitate *Campus Nardinus*, & *Ocellus* dicitur, vulgò *champnardin*, & *l'œillet*.

MOS PRISCVS ADORANDI, & ſacrificandi Biſontinorum: Inſtrumenta varia ad ſacra pertinentia: Antrum Sancaanum.

CAPVT XXV.

ANTIQVVS Deos adorandi mos fuit, vt prius ad Orientem conuerteretur, & totum corpus circumageret Sacerdos, mox ori dextram admoueret, tum libaret, & litaret; quem ritum indicauit Apuleius Metamorph. lib.4. & 11. Plinius lib.28.cap.2. Gallorum in adorando morē ſic oſtendit: *In adorando dextram ad oſculum referimus, totúmque corpus circumagimus, quod in læuam feciſſe Galli religioſum credunt.* Morem illum à Romanis in Gallias Veſontionem illatum colligo, ex æneo meo ſacrificantis ſimulachro hîc appictо,



quod noſtro in territorio repertum eſt: *Barbâ eſt deraſâ, capite velato, θυμιατήριον manu ſiniſtrâ geſtat, maſculi thuris lacrymam Diis offerendam duobus manus dextræ digitis tenet. Barbâ,* inquam, *deraſâ*; eam enim poſt annum ætatis ter ſeptimum, ante Hadrianum, non colebant Romani, ſed deponebant, vt Ioui Capitolino deuouerent. *Capite velato*, de quo ritu Plautus in Am

in Amphitruone: *Inuocat deos immortales, vt ſibi auxilium ferant manibus puris, capite operto.* Iuuenal. ſaty. 6.

----ſtetit ante aram, nec turpe putauit
Pro Satyrâ velare caput, dictatáque verba
Protulit vt mos eſt, & apertâ palluit agnâ.

Iterum Plautus in Curculione: *Quis eſt, qui operto capite Æſculapium ſalutat?* Velabatur autem caput laciniâ veſtis in caput reiectâ, quæ *linea* erat, *alba*, & *pura*, Tibul. lib. 2. Eleg. 1.

Caſta placent ſuperis, purâ cum veſte venite.

Tacitus 19. Annal. *lineo amictu turbæ ſacricolarum immixtus.* Perſius Saty. 2. *—— negato*

Iuppiter hoc illi, quamuis te albata rogarit.

Θυματήριον geſtat, quia Diis ſuis Laribus, domi ſuæ in Larario, ſeu ſacello paruo, vnuſquiſque ſacra faciebat, thure maximè. Iuuenalis. Saty. 9.

O parui, noſtrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, aut tenui ſoleo exornare coronâ.

Plautus in Aulularîâ: *---ea mihi quotidie*
Aut thure, aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicat.

Arnobius lib. 7. *Thura iniiciuntur altaribus ante ipſa numinum ſigna.* Iniiciebantur autem digitis duobus comprehenſa, vt colligo tum ex hoc ſigno, tum ex Hieronymo in epiſt. ad Heliodor. *Non eſt in eo tãtùm ſeruitus Idoli, ſi quis duobus digitulis thura compreſſa in buſtũ aræ iaciat;* Nonnumquã & tribus: Ouid. 2. Faſt.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

Thura autem non quælibet, ſed maſcula, & Orchides rotunditate imitantia, de quibus Plinius lib. 12. cap. 14.

cap. 14. qui eandem ob cauſam lib. 33. cap. 3. *ſabulum maſculum* dixit.

Meo ſacrificantis ſigno addi iuſſi ſequentia ad ſacra pertinentia, quæ domi ſeruo.

A. Aram ſcilicet marmoream antiquam.

B. Æneam ſecurim (abſque manubrio) quâ victimarij percutiebant hoſtias.

C. Cultellum æneum, altera tantùm parte acutum, quo victimas iugulabant Popæ, qualem habes in Lentuli Spinteris nummo apud Guil. *du Choul*, vbi de Auguribus.

D. Capulum enſis æneum, de quo infrà, cap. 42.

E. Stylum denique æneum, quo fortè lancinabantur pij greges, vel potius cuius acumine in tabellis inceratis ſcribebant; bullâ verò ſine capitello, obliterabant.

Eiuſmodi ſupellectilem antiquam cum nummis Romanis, & Celticis, ex auro, ære, & orichalco propè innumeris, in Antro quodam celeberrimo iuxtà *longum Sancæum* non procul à *Beuio* Sequanorum oppido repertam fuiſſe ſciui. Eò deductus,

Obſtupui, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit;

Rupes enim eſt excelſiſſima, ſemicircularis, quâ non datur vltrà, in cuius fundo medio magna fiſſura eſt aditu facillima, aquarum ex antris ſuperioribus pluuio tempore deciduarum receptaculum, quarum tantus eſt aliquando impetus, vt veteres nummos & inſtrumenta varia deorſum propellant. Exiſtimaui ſtatim rupem illam Ædem Saturni, aut

IIIviro

III virorum monetalium olim fuiſſe;ſed cùm ea in Vrbe tantùm, aut Ciuitatibus eſſent, non autem in locis ab hominum conſortio planè ſeiunctis; malo credere, laudabili (vt peritiores cẽſebunt) coniecturâ, aliquot ex *Monetariis*, qui ſub Aureliano Imperatore rebellarunt, *Feliciſſimo Rationali* authore, Vrbe cum cæteris pulſos, in illud antrum ſeceſſiſſe, adulterinæ monetæ clam fabricandæ gratia. *Seditio intramurana* (inquit Aurelianus apud Vopiſcum) *bellum mihi grauiſſimum peperit; Monetarij authore Feliciſſimo vltimo ſeruorum, cui procurationem fiſci mandaueram, rebelles ſpiritus extulerunt; hi compreſſi ſunt ſeptem millibus Hiberorum, Riparienſium, Caſtrianorum, & Daciſcorum interemptis; Vnde apparet nullam mihi à Diis immortalibus datam ſine difficultate victoriam.* Tumultu ſedato Imperator (ex Zozimo lib.1.) *Nouam monetam publicè diſtribuit, cùm plebem quidquid haberet adulterinæ tradere iuſſiſſet, commerciis hoc modo à confuſione vindicatis.* Horum Monetariorum (qui latiſſimè diffuſi erant) aliquot in rupe Sancæana artem ſuam exercuiſſe coniicio, tum ex fornacibus fumo denigratis, tam natiuis, quàm manufactis; portis ferreis, ligneis trabibus, & gradibus in rupe inciſis, (quæ ſunt indubitata ſtructuræ veteris, & clandeſtinæ habitationis teſtimonia;) tum maximè ex variis inſtrumentis, & nummis quamplurimis ibi repertis, qui omnes Aureliani tempora non excedunt.

M DE

DE PRISCO FVNERVM ritu, Campo-nigro, arcis ſepulchralibus, & cadaueribus armillatis.

CAPVT XXVI.

QVONIAM funerum ritus religioſus eſt, illum Diis, & rebus ſacris ſubiungemus. *Funus* (ex Tullio) *fiebat imaginibus, exſequiis, pompâ, laudatione, cantu, ludis, lamentationibus, & rogo.* Semimortuo igitur ægro, extremum eius ſpiritum ore legebant amici, & propinquiores; mortui deinde cadauer lauabant, & vngebant pollinctores;

Tum tuba, candelæ, tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto, craßiſque litatus amomis

in ædium limine collocabatur, conuocatóque ad funus populo funereis ſtipatus facibus, per Veſpillones, vel alios habitâ ratione ſortis vniuſcuiuſque, deferebatur in locum, in quo Libitinarij pyram conſtruxerant, vbi poſt impoſitum rogo cadauer, ter circà buſtum decurrere, verba proferre nouiſſima triplex vale, vrnis reliquias indere, poſtremùm iuſtis peractis epulari.

Præter priuatos, & peculiares paſſim in Ciuitate, & extrà Ciuitatem tumulos, Sepulchrorum Veſontione

tione locus publicus erat vnus, vt Romæ *Campus Eſquilinus*, de quo Horatius lib. 1. Satyr. 8.

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.

Locum hunc, *Campum Nigrum* hodie vocant Biſontini, vulgò, *Champ-noir*, qui non longè ab arenis; fortè, quia ferè omnia ad funus attinentia pulla, aut atra, vel nigra dicerēt priſci; Nam *atratā plebem, atram togam, pullum amictum* leges, vbi de funeribus ſermo eſt apud authores. Sed facilius iudicabunt ij, qui locum adire voluerint, vbi vrnarum, paterarum, & ſimpulorum vitreorum, fictiliúmque teſtas nigricanti cinere, carbonibus,

Albiſque informem ſpectabunt oſſibus agrum,

in quo vina fundebantur olim à ſacrificulis, nunc verò mutatis rerum vicibus, copioſa colliguntur; neque nocuit corporum cinis, imò profuit. Virgilius 3. Georg. *—arida tantùm*

Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola, nève
Effœtos cinerem immundum iactare per agros.

Verùm vt cadauera cremare apud Romanos non ſemper fuit veteris inſtituti, Plinio teſte lib. 7. cap. 54. ita neque apud Biſontinos; Etiam arcis lapideis concluſa, terrâ condebantur. Arca ſepulchralis lapidea, qua *S. Deſiderati* Archiepiſcopi Biſontini corpus poſt mortem fuit reconditum (de qua part. 2. in S. Deſiderato) ſeruatur Ledone, vrbe amœniſſima, & ſalſis fontibus diuite, vbi olim *Moneta* cudebatur *Ledonenſis* dicta, cuius mentio fit in antiquis Eccleſiæ Metropolitanæ Biſontinæ Necrologiis.

M 2 Huiuſmo

Huiuſmodi arcæ nuper effoſſæ ſunt apud *Groſonium* vicum, ſalſis etiam fontibus nobilem, nec non etiã apud *Veſontionem, Salinas, Palmam, Ruffacum, Brigillam,*& *Beſucium.* Similium,ſed marmorearum meminit Theodoricus Rex in epiſtolâ ad Danielem Marmorarium, apud Caſſiodorum lib. 3. variar. his verbis: *Artis tuæ peritiâ delectati,quam in excauandis,atque ornandis marmoribus diligenter exerces,præſenti autoritate concedimus, vt te rationabiliter ordinante diſpenſentur arcæ, quæ in Rauennati vrbe ad recondenda funera diſtrahuntur, quarum beneficio cadauera in ſupernis humata ſunt, lugentium non parua conſolatio, quoniam animæ tantùm de mundi conuerſatione diſcedunt, corpora verò dulces quondam ſuperſtites non relinquunt.*

Nobilium, & plerumque Equitùm ſepulchra fuiſſe coniicio, ex eo quod vnà cum oſſibus, & cineribus, in ſimilibus arcis reperta fuerint aliquando calcaria, & enſes, vt paucis ab hinc annis apud *Bucæum* liberæ Burgundiæ pagum, abſque vlla inſcriptione, aut inſignium appoſitione; Vnicam vidi Ruffaci ſic inſcriptam:

ALANVX.

In multis aliis nobilium menſis,ſiue *tombis* (vt vulgus loquitur) quibus longa titulorum ſeries diſplicebat, tantopere nunc expetita, gentilitia inſignia cum

cum ſcuto, & enſe appoſita cernuntur, cum mortui nomine, & titulo *Militis*, qui Equitem ſonabat, & Nobilem; ita in clauſtro, & ædibus S. Stephani Biſontini *Milites* leges, in tumulis nobilium *De Ceys*, & aliquorum ex Caſatis, qui ſunt quatuor, ex veteri Codice Rituum S. Stephani:

Comes Burgundiæ,
Dominus Montisfalconis,
Vicecomes Biſontinus,
Dominus de Abans.

Sic item Milites inuenies in Cœnobiorum Burgundiæ clauſtris, vt in Monaſterio Bellæuallis, *De Viennâ, De Achæo, De Rochâ, De Caſtellione;* In cœnobio Charitatis, *De monte Auium, De Nouocaſtro, De Rayaco, & de Arguello.* Exſtat breue & iucundum cuiuſdam nobilis Epitaphium Theoloci in clauſtro:

Hic Renaude iaces vir amabilis, & probe Miles.

Nec tantùm in ſepulchris ſolemne illud erat militis nomen, verùm etiam in publicis inſtrumentis, vt ex Monaſteriorum tabulariis mihi innotuit, vbi eorum filij iuniores nondum Equeſtri dignitate præditi, ſimpliciter *Domicelli* dicuntur.

Nunc noſtri Nobiles mirâ titulorum delectantur farragine, ingenuáſque diſciplinas omnes (proh dolor!) ſtatim repudiant, peſſimo inſtituto, quo *nobiles Galli* (vt ait Budæus I. de Aſſe) *res conſentaneas, & mutuâ ope nixas, generis claritatem, literarumque peritiam collidi inter ſe, & diſſidere putant.*

Sed vt ad propoſitum reuertamur, ſepulta ſunt

 etiam

quibus roſas quotannis adhiberi iuberent Romano more, vnde fortè monti nomen. Ita Rauennæ vetus eſt inſcriptio, quæ teſtatur *Tiberium Claudium* Imperatorem, ob memoriam *Druſi* patris, certam pecuniarum ſummam quibuſdam dediſſe, ſub ea conditione, vt quotannis roſas ad monumentum eius deferrent; aliam quoque huic ſimilem refert Hieronymus Magius 2. miſcel.c.17. Coniecturam iuuat Anacreontis autoritas, qui Ode, *de Roſa*, ſic canit:

Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ
Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει:
Quid dicam? & illa multis
Medicina certa malis
Nec inutilis ſepultis.

Roſas autem ſepulchris admouebant, quia humanæ fragilitatis apud Ægyptios erant hieroglyphica. Maro vel Auſonius, quiſquis ille ſit, *in Roſis*:

Quàm longa vna dies, ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.
Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eous
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.
Collige virgo roſas dum flos nouus, & noua pubes,
Et memor eſto æuum ſic properare tuum.

Valeat quantum poterit coniectura; an hæc melior quæ non *Roſarum*, ſed *Roris montem* dicit? Ei ſua non deeſt ratio; Aduertunt enim ciues quoties rore vel pruinâ ſummus vertex veluti coronatus eſt, cæteris collibus adiacẽtibus aëre ſereno circundatis, toties pluuiam

pluuiam imminere : Hinc aliqui *Roris montem* non *roſarum* dicunt. Pars huius collis, quæ Orientem reſpicit, ab amœnitate *Campus Nardinus*, & *Ocellus* dicitur, vulgò *champnardin*, & *l'œillet*.

MOS PRISCVS ADORANDI, & ſacrificandi Biſontinorum: Inſtrumenta varia ad ſacra pertinentia: Antrum Sancæanum.

CAPVT XXV.

ANTIQVVS Deos adorandi mos fuit, vt prius ad Orientem conuerteretur, & totum corpus circumageret Sacerdos, mox ori dextram admoueret, tum libaret, & litaret; quem ritum indicauit Apuleius Metamorph. lib.4. & 11. Plinius lib.28.cap.2. Gallorum in adorando morē ſic oſtendit: *In adorando dextram ad oſculum referimus, totúmque corpus circumagimus, quod in læuam feciſſe Galli religioſum credunt.* Morem illum à Romanis in Gallias Veſontionem illatum colligo, ex æneo meo ſacrificantis ſimulachro hîc appicto,



quod noſtro in territorio repertum eſt: *Barbâ eſt deraſâ, capite velato, θυμιατήριον manu ſiniſtrâ geſtat, maſculi thuris lacrymam Diis offerendam duobus manus dextræ digitis tenet. Barbâ,*inquam,*deraſâ ;* eam enim poſt annum ætatis ter ſeptimum, ante Hadrianum, non colebant Romani,ſed deponebant, vt Ioui Capitolino deuouerent. *Capite velato*, de quo ritu Plautus in Am

in Amphitruone: *Inuocat deos immortales, vt ſibi auxilium ferant manibus puris, capite operto.* Iuuenal. ſaty. 6.

-----ſtetit ante aram, nec turpe putauit
Pro Satyrâ velare caput, dictatáque verba
Protulit vt mos eſt, & apertâ palluit agnâ.

Iterum Plautus in Curculione: *Quis eſt, qui operto capite Æſculapium ſalutat?* Velabatur autem caput laciniâ veſtis in caput reiectâ, quæ *linea* erat, *alba*, & *pura*, Tibul. lib. 2. Eleg. 1.

Caſta placent ſuperis, purâ cum veſte venite.

Tacitus 19. Annal. *lineo amictu turbæ ſacricolarum immixtus.* Perſius Saty. 2. *—— negato*

Iuppiter hoc illi, quamuis te albata rogarit.

θυματήριον geſtat, quia Diis ſuis Laribus, domi ſuæ in Larario, ſeu ſacello paruo, vnuſquiſque ſacra faciebat, thure maximè. Iuuenalis. Saty. 9.

O parui, noſtrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, aut tenui ſoleo exornare coronâ.

Plautus in Aululariâ: *----ea mihi quotidie*
Aut thure, aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicat.

Arnobius lib. 7. *Thura iniiciuntur altaribus ante ipſa numinum ſigna.* Iniiciebantur autem digitis duobus comprehenſa, vt colligo tum ex hoc ſigno, tum ex Hieronymo in epiſt. ad Heliodor. *Non eſt in eo tãtùm ſeruitus Idoli, ſi quis duobus digitulis thura compreſſa in buſtũ aræ iaciat;* Nonnumquã & tribus: Ouid. 2. Faſt.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

Thura autem non quælibet, ſed maſcula, & Orchides rotunditate imitantia, de quibus Plinius lib. 12. cap. 14.

cap. 14. qui eandem ob cauſam lib. 33. cap. 3. *ſabulum maſculum* dixit.

Meo ſacrificantis ſigno addi iuſſi ſequentia ad ſacra pertinentia, quæ domi ſeruo.

A. Aram ſcilicet marmoream antiquam.

B. Æneam ſecurim (abſque manubrio) quâ victimarij percutiebant hoſtias.

C. Cultellum æneum, altera tantùm parte acutum, quo victimas iugulabant Popæ, qualem habes in Lentuli Spinteris nummo apud Guil. *du Choul*, vbi de Auguribus.

D. Capulum enſis æneum, de quo infrà, cap. 42.

E. Stylum denique æneum, quo fortè lancinabantur pij greges, vel potius cuius acumine in tabellis inceratis ſcribebant; bullâ verò ſine capitello, obliterabant.

Eiuſmodi ſupellectilem antiquam cum nummis Romanis, & Celticis, ex auro, ære, & orichalco propè innumeris, in Antro quodam celeberrimo iuxtà *longum Sancæum* non procul à *Beuio* Sequanorum oppido repertam fuiſſe ſciui. Eò deductus,

Obſtupui, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit:

Rupes enim eſt excelſiſſima, ſemicircularis, quâ non datur vltrà, in cuius fundo medio magna fiſſura eſt aditu facillima, aquarum ex antris ſuperioribus pluuio tempore deciduarum receptaculum, quarum tantus eſt aliquando impetus, vt veteres nummos & inſtrumenta varia deorſum propellant. Exiſtimaui ſtatim rupem illam Ædem Saturni, aut

III virorum monetalium olim fuiſſe;ſed cùm ea in Vrbe tantùm, aut Ciuitatibus eſſent, non autem in locis ab hominum conſortio planè ſeiunctis; malo credere, laudabili (vt peritiores cẽſebunt)coniecturâ, aliquot ex *Monetariis*, qui ſub Aureliano Imperatore rebellarunt,*Feliciſſimo Rationali* authore,Vrbe cum cæteris pulſos, in illud antrum ſeceſſiſſe, adulterinæ monetæ clam fabricandæ gratia. *Seditio intramurana* (inquit Aurelianus apud Vopiſcum) *bellum mihi grauiſſimum peperit; Monetarij authore Feliciſſimo vltimo ſeruorum, cui procurationem fiſci mandaueram, rebelles ſpiritus extulerunt; hi compreſſi ſunt ſeptem millibus Hiberorum, Riparienſium, Caſtrianorum, & Daciſcorum interemptis; Vnde apparet nullam mihi à Diis immortalibus datam ſine difficultate victoriam.* Tumultu ſedato Imperator (ex Zozimo lib.1.) *Nouam monetam publicè diſtribuit, cùm plebem quidquid haberet adulterinæ tradere iuſſiſſet, commerciis hoc modo à confuſione vindicatis.* Horum Monetariorum (qui latiſſimè diffuſi erant) aliquot in rupe Sancæana artem ſuam exercuiſſe coniicio, tum ex fornacibus fumo denigratis, tam natiuis, quàm manufactis; portis ferreis, ligneis trabibus, & gradibus in rupe inciſis, (quæ ſunt indubitata ſtructuræ veteris,& clandeſtinæ habitationis teſtimonia;) tum maximè ex variis inſtrumentis, & nummis quamplurimis ibi repertis, qui omnes Aureliani tempora non excedunt.

DE PRISCO FVNERVM ritu, Campo-nigro, arcis ſepulchralibus, & cadaueribus armillatis.

CAPVT XXVI.

QVONIAM funerum ritus religioſus eſt, illum Diis, & rebus ſacris ſubiungemus. *Funus* (ex Tullio) *fiebat imaginibus, exſequiis, pompâ, laudatione, cantu, ludis, lamentationibus, & rogo.* Semimortuo igitur ægro, extremum eius ſpiritum ore legebant amici, & propinquiores; mortui deinde cadauer lauabant, & vngebant pollinctores;

Tum tuba, candelæ, tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque litatus amomis

in ædium limine collocabatur, conuocatóque ad funus populo funereis ſtipatus facibus, per Veſpillones, vel alios habitâ ratione ſortis vniuſcuiuſque, deferebatur in locum, in quo Libitinarij pyram conſtruxerant, vbi poſt impoſitum rogo cadauer, ter circà buſtum decurrere, verba proferre nouiſſima triplex vale, vrnis reliquias indere, poſtremùm iuſtis peractis epulari.

Præter priuatos, & peculiares paſſim in Ciuitate, & extrà Ciuitatem tumulos, Sepulchrorum Veſontione

tione locus publicus erat vnus, vt Romæ *Campus Eſquilinus*, de quo Horatius lib. 1. Satyr. 8.

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.

Locum hunc, *Campum Nigrum* hodie vocant Biſontini, vulgò, *Champ-noir*, qui non longè ab arenis; fortè, quia ferè omnia ad funus attinentia pulla, aut atra, vel nigra dicerēt priſci; Nam *atratā plebem, atram togam, pullum amictum* leges, vbi de funeribus ſermo eſt apud authores. Sed facilius iudicabunt ij, qui locum adire voluerint, vbi vrnarum, paterarum, & ſimpulorum vitreorum, fictiliúmque teſtas nigricanti cinere, carbonibus,

Albiſque informem ſpectabunt oſſibus agrum,

in quo vina fundebantur olim à ſacrificulis, nunc verò mutatis rerum vicibus, copioſa colliguntur; neque nocuit corporum cinis, imò profuit. Virgilius 3. Georg. —*arida tantùm*

Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola, neve
Effœtos cinerem immundum iactare per agros.

Verùm vt cadauera cremare apud Romanos non ſemper fuit veteris inſtituti, Plinio teſte lib. 7. cap. 54. ita neque apud Biſontinos; Etiam arcis lapideis concluſa, terrâ condebantur. Arca ſepulchralis lapidea, qua *S. Deſiderati* Archiepiſcopi Biſontini corpus poſt mortem fuit reconditum (de qua part. 2. in S. Deſiderato) ſeruatur Ledone, vrbe amœniſſima, & ſalſis fontibus diuite, vbi olim *Moneta* cudebatur *Ledonenſis* dicta, cuius mentio fit in antiquis Eccleſiæ Metropolitanæ Biſontinæ Necrologiis.

Huiuſmodi arcæ nuper effoſſæ ſunt apud *Groſonium* vicum, ſalſis etiam fontibus nobilem, nec non etiã apud *Veſontionem, Salinas, Palmam, Ruffacum, Brigillam*, & *Beſucium*. Similium, ſed marmorearum meminit Theodoricus Rex in epiſtolâ ad Danielem Marmorarium, apud Caſſiodorum lib. 3. variar. his verbis: *Artis tuæ peritiâ delectati, quam in excauandis, atque ornandis marmoribus diligenter exerces, præſenti autoritate concedimus, vt te rationabiliter ordinante diſpenſentur arcæ, quæ in Rauennati vrbe ad recondenda funera diſtrahuntur, quarum beneficio cadauera in ſupernis humata ſunt, lugentium non parua conſolatio, quoniam animæ tantùm de mundi conuerſatione diſcedunt, corpora verò dulces quondam ſuperſtites non relinquunt.*

Nobilium, & plerumque Equitùm ſepulchra fuiſſe coniicio, ex eo quod vnà cum oſſibus, & cineribus, in ſimilibus arcis reperta fuerint aliquando calcaria, & enſes, vt paucis ab hinc annis apud *Bucæum* liberæ Burgundiæ pagum, abſque vlla inſcriptione, aut inſignium appoſitione; Vnicam vidi Ruffaci ſic inſcriptam:

ALANVX.

In multis aliis nobilium menſis, ſiue *tombis* (vt vulgus loquitur) quibus longa titulorum ſeries diſplicebat, tantopere nunc expetita, gentilitia inſignia cum

cum ſcuto, & enſe appoſita cernuntur, cum mortui nomine, & titulo *Militis*, qui Equitem ſonabat, & Nobilem; ita in clauſtro, & ædibus S. Stephani Biſontini *Milites* leges, in tumulis nobilium *De Ceys*, & aliquorum ex Caſatis, qui ſunt quatuor, ex veteri Codice Rituum S. Stephani:

Comes Burgundiæ,
Dominus Montisfalconis,
Vicecomes Biſontinus,
Dominus de Abans.

Sic item Milites inuenies in Cœnobiorum Burgundiæ clauſtris, vt in Monaſterio Bellæuallis, *De Viennâ, De Achæo, De Rochâ, De Caſtellione*; In cœnobio Charitatis, *De monte Auium, De Nouocaſtro, De Rayaco, & de Arguello.* Exſtat breue & iucundum cuiuſdam nobilis Epitaphium Theoloci in clauſtro:

Hic Renaude iaces vir amabilis, & probe Miles.

Nec tantùm in ſepulchris ſolemne illud erat militis nomen, verùm etiam in publicis inſtrumentis, vt ex Monaſteriorum tabulariis mihi innotuit, vbi eorum filij iuniores nondum Equeſtri dignitate præditi, ſimpliciter *Domicelli* dicuntur.

Nunc noſtri Nobiles mirâ titulorum delectantur farragine, ingenuáſque diſciplinas omnes (proh dolor!) ſtatim repudiant, peſſimo inſtituto, quo *nobiles Galli* (vt ait Budæus 1. de Aſſe) *res conſentaneas, & mutuâ ope nixas, generis claritatem, literarumque peritiam collidi inter ſe, & diſſidere putant.*

Sed vt ad propoſitum reuertamur, ſepulta ſunt

M 3 etiam

etiam quandoque apud Sequanos ſine arcis cadauera; Anno enim 1589. quâ parte mons Cœlius ſoli meridiano oppoſitus Dubim lambit, in loco,quem *Rupeculas* vocant, & prope *Auennam* pagum (vt accepi à Clariſſimo I. C. *Cl. Ant. Buſon*, Gubernatore Ciuitatis, Duumuiro in Tribu Burgenſi) effoſſa ſunt cadauera, collo,& brachiis armillata; ſic enim cum Propertio loqui liceat, qui cecinit lib.4.eleg.8.

—— armillatos colla moloſſa canes.

Ex aliâ quoque montis Cœlij parte, torquata reperta fuiſſe aſſerunt viri antiquæ fidei, iuxtâ quæ lampades erant fictiles, cum ſuis vaſculis; Torquē, & armillam vnam hîc apponi iuſſi,lampadem item, & vaſculum vnum, ambo teſtacea, quæ adhuc



odorem balſaminum ſuauiſſimum emittunt; vnde coniicio oleum, quo vtebantur priſci, commune non fuiſſe,ſed ex aromatis arte eductum, cuius odorem facilè teſtacea imbibebant, iuxtà illud Horatij tritum:

Quò

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Torques autem, & armillas, ſeu Virias Celticas perpetuò gerere, mos fuit priſcis Biſontinis vſitatus, & Celtis quoque reliquis; de quibus videndi Liuius, Plinius, & alij complures.

EPITAPHIA: NVMMVS ΔΑΝΑΚΗ: *vaſa, & vrnæ variæ.*

CAPVT XXVII.

NECDVM priſcis Gentis noſtræ funeribus finis; Illam mouit *—laudis, titulique cupido.*
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus.
Fragmenta monumentorum ex lapide fabricatorum propè infinita effoſſa vidimus in Campo Nigro, & à viticolis noua in dies effodiuntur, ſed de quibus cum Auſonio liceat effari;

Truncatis conuulſa jacent elementa figuris,
Omnia confuſis interière notis.
Miremur periiſſe homines? monumenta fatiſcunt:
Mors etiam ſaxis, nominibúſque venit.

Duo tantùm in Campo Nigro reperta, domi habeo, quorum vnius talis eſt titulus.

D. M.

D. M.
MEMORIAI
IL·.·.·.·.·.·ARI
VANATASTI
ANN. V.

Alterius ſic habet.

D. M.
MEMORIAI
AVRELIAI. VIN.

An hæc *Aurelia* fuit ex familiâ Vinitiorum, ex quâ *Marcus Vinitius*, qui de Germanis victoriam reportauit, cui fornix in Alpibus poſita, ex Dione lib. 53? Extat tertium in monte Cœlio.

D. M.
773. 4. CLODIO. ONE
SIMO. IVLIA.
CARROTALA
VXOR.

Nummos Veſpaſiani, Domitiani, & aliorum Cæſarum habeo pleroſque ex vrnulis, in Campo Nigro caſu inuentis. Nummus erat ille Græcis *δανάκη* dictus, qui (ex Ariſtophane) Charonti perſoluebatur, pro ſtygiæ paludis tranſmiſſione, quem ideò mortuorum dentibus inſerebant, & vnà cum cineribus

cineribus indebant loculo. De vrnis autem, & aliis antiquorum poculis agere mei non eſt inſtituti, quandoquidem multa de iis apud authores: ſolùm quæ apud me ſeruo Veſontione effoſſa ſtudioſis lubẽs aperio, & manu ſculptoris expreſſa hîc repono.



1. Vas fictile oblongum bipedale, quod (ex Do-

 nato

nato in Terentium) illud eſſe aliquando cenſui, quo in Veſtæ ſacrificiis vtebantur antiqui, *futile à fundendo dictum, lati oris, & arctæ baſis, vt humi poſitum ſtatim effunderetur.* Nunc verò cineribus mortuorum condendis deſtinatum fuiſſe arbitror; nam huiuſmodi plurima anſata & integra, plena cineribus hoc anno 1618, Lugduni effoſſa vidi in Domo probationis Societatis IESV, propè confluentes Araris & Rhodani, non procul ab Athenæo; eáque non temerè in Conditorio repoſita & velut implantata, ſed (quod notatu digniſſimum eſt) ordine digeſta, inuerſa, ac inſtar Pyramidum ſinè titulis collocata.

Habeo domi quatuor anſas veterum vaſorum eiuſdem circiter capacitatis, quarum vni ſuperſcriptum, C. ANTONIO. tribus aliis, CAMILLI MELISSI: An hoc nomen, & cognomen priſci alicuius? an verò pertinebant illa vaſa ad *Camillos*, ſeu Deorum miniſtros, qui & fortè Meliſſei Iouis, ſacra faciebant?

2. Poculum elegans in Campo Nigro repertum, ex terrâ Lemniâ, vel Armenâ, rubrum quippè, & madentibus labiis adhærens, quo in funeribus vinum libabant Sacerdotes, vtì etiam in ſimpullis, ſeu calicibus fictilibus, quorum teſtas rubras, albas, ſubflauas, cùm in Campo Nigro colligerem, deprehendi vnam, cum tali inſcriptione in fundo: CVR. CIMA. Alia poſteà mihi data eſt à Carolo Robino IIII viro in Tribu Burgi, *mediâ teſta relictâ viâ*, cum hac Epigraphâ; BVRDO. quæ quid ſibi velint,

lint, aſſequi nondum potui. Vaſis autem fictilibus iiſque rubris, in ſacris veteres vtebantur. Ouid. 5. Faſt. *Terra rubens crater, pocula fagus erant.* Plautus in Captiuis:

Genio vbi ſuo quando ſacrificat,
Ad rem diuinam quibus opus eſt Samiis vaſis vtitur.

3. Olla ſepulchralis, quæ in Campo Nigro carbonibus, oſſibus, & cineribus plena fuit inuenta, anno 1595. iuxta ſuperiùs allata Epitaphia.

4. Vaſculum eodem in loco effoſſum, recentioribus Antiquariis, *lachrymatorium* dictum, quo lacrymas excipiebant, vt defuncti reliquiis in vrnâ repoſitis ſuperfunderent.

5. Vas ex candidâ materiâ, olim deauratum, adhuc ſcintillis aureis ſplendens, ventroſum, ſtricti oris, & anſatum; fortè *Capis* Feſto, & Varroni, *poculum à capiendo dictum, quòd anſatum prehendi facilius poſſit.*

6. Vrceus miniſtratorius in viridario noſtræ domus in vico Arearum ſitæ (vbi olim abſque dubio templum aliquod) erutus vnà cum Fauſtinæ nummo, & ſigillo æneo eiuſdem cælo donatæ, vt ex nummo coniicio, in quo ex vnâ parte Pauo, & CONSECRATIO, ex altera, DIVA FAVSTINA.

7. Vas æneum, quod temerè in agris effoſſum dono mihi dedit amicus quidam meus; qui à villico æneis, & argenteis nummis plenum repertum acceperat; vltrò fidem illi adhibui, cùm huiuſmodi plura vidiſſem aliàs nummis plena Maxentij,

Decentij, Probi, Taciti, Aureliani, Tetrici, & aliorum Cæſarum.

8. Vrnula vitrea *(quod digitis quinque leuatur onus)* D. Blaſij Iaquotij I. C. donum, qui odoratis cineribus plenam, cum incluſo argenteo nummo Alexandri Seueri, effoſſam affirmauit.

9. Altera marmorea oblongior, cùm *Riuetæ* propugnaculum exſtrueretur altè defoſſa, quam mihi vltrò conceſſit nobilis & eruditus Iuuenis D. Fridericus Valimbertus I. C. Sed de funerum ritibus quoad rem meam abundè tractatum; qui vberiorem lectionem expetierit, conſulat luculentum, & elegans opus Iac. Gutherij inſignis hoc ſæculo rerum antiquarum ſcrutatoris, quod inſcripſit *De Iure Manium*, vbi pro dignitate de funeribus agens, ipſe ſuum nomen à funeris periculo ſubduxit.

VESONTIO MVNICIPIVM Romanum: Scholæ Municipales.

CAPVT XXVIII.

QVIA Rerumpublicarum ſalus, à ſcholarum conſtitutione dependet (quæ ſunt immortalitatis veluti quædam ſacraria) Ideò Romani ſcholas non tantùm in Vrbe, ſed etiam extrà Vrbem in Municipiis ſuis inſtituêre, quas *Municipales* vocarunt, in quibus diſciplinæ omnes edocerentur

cerentur. Tales apud *Veſontionem*, & *Lugdunum* (præcipuas in ſuâ quâque prouinciâ ciuitates) erexerunt, de quibus Auſonius in ſuâ gratiarum actione ad Gratianum Imperatorem pro Conſulatu, his verbis: *Quomodò Titianus magiſter Municipalem ſcholam apud Veſontionem, Lugdunúmque variando, non ætate quidem, ſed vilitate conſenuit.* Scholam Municipalem, hoc eſt, gymnaſium municipale publicum, ſiuè locum omni exercitationis generi dicatū, vbi Grammatica, Rhetorica, & Philoſophia publicè tradebantur; conſtitutum in Ciuitate Municipali, qualem fuiſſe noſtram fidem facit Galbæ nummus apud Golthſium, in theſauro rei antiquariæ, MVN. VISONTIVM, cuius ectypum habeo à Ioanne Chiffletio patre, hac figurâ.



Municipes autem (ait Agellius) *ſuo vtuntur iure, & muneris tantum honorarij cum Pop. Rom. participes nullis aliis neceſſitatibus, neque vllâ Pop. Rom. lege aſtricti, quia numquam Pop. Rom. factus eſt eorum fundus.* Illud

 ipſum

ipſum Iuriſconſulti probant: Vlpianus l. 1. D. ad Municip. *Municipes,* inquit, *recepti in Ciuitatem, vt munera nobiſcum faciant, quaſi munerũ participes.* Queis ex locis liquet, ius Veſontinis in Vrbe fuiſſe capeſſendorum munerum, dignitatibus publicis honoratos ſemper, tributis oneratos numquam; ſi enim municipium ager Pop. Romani numquam factus eſt, quomodo tributis ſit obnoxius? aut ſi publicis neceſſitatibus municipales fundi eximuntur, multò æquius, & municipiorum ipſa capita, & fundorum immunium Domini: Publicas neceſſitates accipio, quæ (vt prudentibus placet) aut perſonam onerant, aut patrimonium: Nam ex Agellij, Vlpiani, & Auſonij ſententiâ, honorarij muneris municipibus Veſontinis ius Romæ datum, muneris, inquam, aut capiẽdi ex ſuffragio, aut conferendi per ſuffragium, vel tabellam. Leges ergò à Pop. Rom. Veſontinum municipium non accepit, ſed Veſontinus Municeps ius populo Romæ dixit; non quidem ex conſtitutione Claudij, quâ, ſcriptore Tacito, Gallicarũ ciuitatum primoribus, lati claui ius indulſit; ſed indè à Iulio Cæſare, poſtquam ob fidem, & obſequium repulſi Ariouiſti, Sequanorum Maximam Veſontionem, non prouinciali ſeruitute preſſit, ſed ciuili ſocietate vinxit.

Gymnaſio noſtro municipali Veſontino præerant egregij præceptores, vt *Titianus* noſter, qui

------authores nouerat omnes
Tanquam vngues digitóſque ſuos:

Hunc

Hunc Maximini Imperatoris magiſtrum fuiſſe tradit Capitolinus, in Maximino Iuniore, Modeſtini Iuriſconſulti coætaneum, magnique nominis oratorem, qui libros prouinciarum ſcripſit pulcherrimos, quos ſub nominibus illuſtrium fœminarum intelligendos putat apud Sidonium Sauaro. Sic Apollinaris lib. 1. epiſt. 1. *Nam de M. Tullio ſilere in ſtylo epiſtolari melius puto, quem nec Iulius Titianus ſub nominibus illuſtrium fœminarum dignâ ſimilitudine expreſſit.* Titianum de agricultura citat Diomedes lib. 1. & Iſidorus lib. 2. originum, de Rhetorica: *Hæc diſciplina,* inquit, *à Græcis inuenta eſt, Gorgiâ, Ariſtotele, Hermagorâ, & tranſlata in Latinum à Tullio videlicet, Quintiliano, & Titiano.* Seruius Æneid. 10. *Titianus, & Caluus, qui thematum materias omnes de Virgilio elicuerunt, & conformarunt ad dicendi vſum:* Idem ferè Pomponius Sabinus.

Artem igitur oratoriam in ſcholis apud Veſontionem municipalibus edocebat Titianus, vbi ſtudia erant Galliarum florentiſſima, vnde Gallicanæ facundiæ nitor, & vbertas; vndè (vt cecinit Rutilius in Itinerario.)

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab armis
Miſſus Romani diſcere iura fori;

Vnde Veſontio præcipuè (quod de Galliâ Iuuenalis)

Cauſidicos docuit facunda Britannos.

Petrus *Damiani* in epiſt. ad *Vgonem I.* Archiepiſcopum Biſontinum, meminit *ſcholarum apud S. Ioannem Biſontinum* eius tempore vigentium.

Acade

Academiam Biſontinam collabentem Fridericum primum, cognomine Ahenobarbum Imperatorem inſtauraſſe, antiqui ciuium pugillares, & vetuſti annalium manuſcripti codices teſtantur.

Scholarum Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenes mentio fit in inſtrumentis Chartularij Magdalenſis annorum 1267, & 1284. Vicus proximus Eccleſiæ adhuc *ſcholæ* retinet nomen.

Nicolaus Papa Quintus anno 1450. ductus aëris temperie, & rerum omnium ad victum neceſſariarum prouentu copioſo, nixus antiquitate ſcholarum iam à priſcis Romanis inſtitutarum (de quibus antè) in Ciuitate Biſontina ſtudium in artibus liberalibus erexit, vbi tam legentes, quàm ſtudentes gauderent iiſdem priuilegiis, prærogatiuis, immunitatibus, & honoribus priùs conceſſis magiſtris, doctoribus, & ſtudentibus in aliis quibuſcumque ſtudiis generalibus.

Mentio fit *ſcholarum S. Brigittæ* in Actis Capituli 7. Octobr. anni 1500. fortè illis olim præerat Canonicus qui *ſcholaſticus* dicebatur, cuius officium nunc ſuppreſſum eſt.

Ferdinandus Imperator anno 1564. in ſua Veſontione ſtudium vniuerſale, ſeu Vniuerſitatem, & Academiam erexit, atque inſtituit, *quod* (vt eſt in priuilegio) *Ciuitas lætiſſimo cœlo, & loco ſita, lata ſpatiis, & hortis, ac fluuio amœna, moribúſque exculta, necnon Magiſtratu & religione ſpectabilis, Germanicæ nationi ad ediſcendam linguam Gallicam, vnà cum pietate, & bonis*

bonis litteris magnam præbeat opportunitatem. Neſcio cur Biſontini hoc tam præclaro priuilegio vſi non ſint.

Poſteà Antonius Cardinalis Granuellanus, *Collegium S. Mauritij* erexit, & fundauit, quod Iulius III. Pont. & Carolus V. Imperator approbarunt.

Demum anno 1597. 26. Maij per S. P. Q. Biſontinum fundatum eſt Collegium Clericis Regularibus Societatis IESV, eíſque deſtinatus eſt locus ille, in quo viguerant poſt omnem memoriam *ſcholæ municipales* publicis dotatæ ſumptibus, vt ibidem non litteraria modò exercitia, ſed virtutum maximè & pietatis ſtudia florerent.

VESONTIONE OLIM Præſides, Tribuni, Præfecti, Conſules, Duumuiri: Ritus Comitiorum: ſeptem Tribus: Magiſtratus: Nummi honorarij: Officia.

CAPVT XXIX.

PROVINCIÆ Romano Imperio ſubiectæ pro ratione dignitatis vniuſcuiuſque, per Præſides, Proprætores, Conſules, Proconſules, & Tribunos gubernari ſolebant. Vnus & triginta Præſides erant in Occidente; Vndecim in Galliis, inter quos MAXIMÆ SE-

QVANORVM PRÆSES tertius numeratur, in libro notitiæ Imperij Romani, qui ſic habet, *in notitia dignitatum omnium in partibus Occidentis*:

Præſides per Gallias vndecim.

Alpium maritimarum.	*Nouempopulaniæ.*
Alpium Pœninarum, & Graiarum.	*Narbonenſis primæ.*
	Narbonenſis ſecundæ.
Maximæ Sequanorum.	*Lugdunenſis ſecundæ.*
Aquitaniæ primæ.	*Lugdunenſis tertiæ.*
Aquitaniæ ſecundæ.	*Lugdunenſis Senoniæ.*

Ille Præſes vniuerſam regebat prouinciam, & apud Veſontionem habitabat in monte Cœlio, ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarij ſeptem prouinciarum, vt pluribus referunt B. Rhenanus lib. 1. rerum Germ. Robertus Cœnalis lib. 1. Gallicæ hiſtor. perioch. 8. & Lazius comment. Reip. Romanæ lib. 2. cap. 2. & 8. *Prætorio iure gaudebat, ſcipione eburneo, Curuli Sellâ,* aliiſque inſignibus, de quibus Caſſiodorus lib. 6. epiſt. *faſcibus* ſcilicet, *iure figendi claui, prætextâ, lato clauo, iure gladij geſtandi, infulis circùm caput, vehiculis, animalibus publicis, & apparitorum comitatu.* Tales fuerunt Veſontione *Vrſicinus, Saluſtius, Marcellus,* & plerique alij.

Aurelij Proculi viri Conſularis, prouinciæ Maximæ Sequanorum mentio fit in antiquo lapide, qui Conſtantiæ ad lacum Briganticum.

IMP.

IMP. CAES. C. AVRE. VAL. DIOCLE- 166. 7.
TIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR.
MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. XI.
IMP. X. COS. V. PP. ET IMP. CAE-
SAR. M. AVR. VAL. MAXIMIANVS
AVG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS.
MAX. TRIB. POT. X. IMP. VIII.
COS. IIII. PP. ET IMPP. FL. VAL.
CONSTANTIVS. ET. GAL. VAL. MA-
XIMIANVS. FILII. CAESS. MVRVM
VITVDVRENSEM. A. SOLO. INSTAV-
RARVNT. CVR. AVRELIO. PROCV-
LO. V. C. PROV. MAX. SEQ.

Onnaſium quendam Tribunum, & *Claudium* Præfectum Veſontionem gubernaſſe ſcimus, ex actis SSS. Lini, Ferreoli, & Ferrucij; nec non *Munatium Panſam* Biſontinos Conſulari poteſtate rexiſſe, de quo lapis antiquus:

MARTI. SEGOMONI. SACRVM 58. 5.
ANNVA
····VRBICI. FIL. MARTINVS
····SACERDOS ROMAE. ET AVG.
····MVNACIO PANSA. COS
····IN CIVITATE. SEQVANORVM.
····E. GALLIAE. HONORES
····ET SVIS. DECREVERVNT.

Hoc ſaxum vetus, cum aliquot aliis Lugduni repertis, occaſionem dedit Paradino hiſtoriæ Lugdunenſis lib. 1. cap. 5. affirmandi *Lugdunum* (cuius in Prouinciâ Maximâ Sequanorum nullibi vmquam apud autores mentio) *Ciuitatem Sequanorum* olim dictũ fuiſſe, ídque varios autores tradidiſſe; tamen ne vnum quidem profert, è cuius ſcriniis confirmet ſuam ſententiam, quam nuper optimo iure damnauit D. Claudius *de Rubys* regius in præfecturâ Lugdunenſi Conſiliarius lib. 1. hiſtor. Lugdunenſis cap. 30. Vt enim imprimis vir ille optimus Maximæ Sequanorum Prouinciæ fines loc. cit. perperam extendit, qui *Veſontinâ, Baſilienſi, Lauſanenſi, & Bellicenſi Diœceſibus* iuſtè comprehenduntur; Ita non aduertit legatos liberos, ſeu Conſules, à Prolegatis, ſiue Proconſulibus eâ ratione fuiſſe diſtinctos, vt hi in caſtris adeſſe perpetuò cogerentur; illi pro arbitrio, vel adeſſe, vel abeſſe, & ſuo fungi ad libitum officio. Noſter hic *Panſa* liber, & ſui iuris, Conſulari inſignitus poteſtate malo fato Lugduni interiit, cùm Veſontione domi ſuæ, in monte Cœlio debuiſſet: Adde quòd hæc inſcriptio poſita eſt à *Duumviro Biſontino* Sequano, de quo etiam alia Lugduni ſic:

IOVI

IOVI. O. M. 13. 15.
Q. ADGINNIVS. VRBIC. FIL.
MARTINVS. SEQ.
SACERDOS. ROMAE. ET. AVG. AD
ARAM. AD CONFLVENTES. ARA
RIS. ET. RHODANI. FLAMEN
IIVIR. IN. CIVITATE.
.SEQVANORVM.

Dialis Flamen erat Sequanus iſte (vt patet ex inſcriptione) & Augur ad aram Lugdunenſem ; nec obſtat, quòd etiam fuerit *Duumvir Veſontione*, ſeu *in Ciuitate Sequanorum* ; poterat enim vtroque honore, ac munere perfungi : ſic ex priſcis lapidibus apud ipſum Paradinum & Gruterum ;

Poppilius natione Sequanus fuit, & ciuis Lugdunenſis; 649. 7.

Tib. Pompeius Priſcus Cadurcus, omnibus honoribus apud 455. 10. *ſuos functus, Iudex arcæ Galliarum Lugduni*;

C. Liberius Decimanus Ciuis Viennenſis, Nauta Ararieus, Lugduni conſiſtens : 428. 10.

C. Catulius Decimius Tricaſſinus, omnibus honoribus 386. 8. *apud ſuos functus, ſacerdos ad templum Romæ & Aug.*

Mattonius Reſtitutus, Ciuis Tribocus negotiator artis 647. 5. *macellariæ* ; Lugduni omnes : Ita denique *L. Heluius Curator & patronus nautarum Rhodani, & Araris*, apud Lugdunum fuit, & ſimul *Duumvir Viennenſium*. Saxum vetus Lugduni repertum :

418. 3. L. HELVIO. L. FIL.
VOLTIN. FRVGI
CVRATORI. NAVTARVM
BIS. IIVIR. VIENNENSIVM
PATRONO. RHODANICORVM
ET. ARARICOR.
N̄. RHOD.. ET ARAR.
HOD.

Quod ſi quis obiiciat in hiſce priſcis lapidibus *Ciuitatem* pro vniuerſâ prouinciâ debere intelligi, vt nonnunquam accipitur ab autoribus; ſciat hîc ſumi debere pro Metropoli Sequanorum, quæ Municipalis erat; nam quis neſcit vt Præſidatum prouinciarum, ſic Duumuiratum municipiorum fuiſſe?

Duumuiratum antiquitus apud Biſontinos confirmat hodierna per Duumuiros Ciuitatis gubernatio; quotannis enim die D. Ioanni Baptiſtæ feſto, celebrantur Comitia, vbi vigintioctouiri in ſeptem Tribubus *Quintiniâ, Petrinâ, Campomartiâ, Burgenſi, Batualium, Charitomontanâ, & Arenarum*; quatuoruiri ſcilicet in vnaquaque Tribu à populo Ciuitate donato eliguntur: Hi vigintioctouiri rurſus, re diuinâ factâ, in domo Ciuicâ congregati, quatuordecimuiros, in ſingulis nempe Tribubus duos, Ciuitatis Rectores, ſeu Gubernatores conſtituunt, penes quos manet Reipublicæ totius gubernatio, & ius ſummum

mum toto illo anno, quo per hebdomadas ſinguli, ordine Tribuum, Præſidis ſedem occupant. Vt autem in XIIII virorum electione, XXVIII viris ſumma ſuffragij ferendi libertas eſt conceſſa; ſic etiam in his eligendis liberrimæ ſunt ciuium voces; Ita remanſit apud Biſontinos antiqua illa Gallorum libertas, de qua Cæſar in commentar: *Tam libera* (inquit) *ſuffragiorum, & ſtudiorum cuique poteſtas erat, vt vel infimis liberè, & abſque vllo metu ſententiæ dicendæ, ſuffragiique ferendi facultas eſſet.*

A Magiſtratu creato, & conſtituto pendent, & conſtituuntur reliqua Ciuitatis officia, quæ ſunt;

Aduocatus fiſci.

Syndicus, ſiue Defenſor & procurator fiſci, cum ſuo proſyndico.

Secretarius ſtatus, qui conſilio ſemper intereſt, & Senatuſconſulta in Diario deſcribit.

Secretarius alter, ſeu potius ſcriba vrbanus, qui litigantibus decreta Senatus aſſignat.

Theſaurarius.

Præfectus operum publicorum.

Curatores horreorum.

Curator pauperum.

Magiſter monetæ.

Cuſtos carcerum.

Apparitores.

Satellites, & reliqui Officiarij.

Præterea vnaquæque Tribus habet,

Ducem ſiue Capitaneum;

Locum

Locumtenentem Capitaneis

Vexillarium;

Decuriones;

Ordinum ſatellites; & alia minora officia quæcunque ad ſtatus Politici rectam inſtitutionem requiri poſſunt.

Annuâ Reip. adminiſtratione feliciter abſolutâ moris eſt antiqui apud Biſontinos, XIIII viris, & XXVIII viris nummos argenteos honorarios è publico erogare, his quidem ſexcunciales, illis duplo maiores. Illi autem nummi vnâ ex parte vultum Cæſaris Imperantis; ex alterâ, Imperij Romani, Veſontionis, & ſeptem eius Tribuum inſignia præ ſe ferunt, vt hîc vides.



DE

DE DVCE SEQVANICI, & veteri Parmâ Biſontinorum.

CAPVT XXX.

VIRO ſpectabili Maximæ Sequanorum Præſidi parebat *Dux Limitaneus Sequanorum*, qualem *Cornelium* quemdam legimus, in actis S S. Ferreoli & Ferrucij; & Zenonis tempore *Ægidium*. DVX PROVINCIÆ SEQVANICI dicebatur ex Lazio, comment. Reip. Rom. libr. 2. cap. 9. & lib. Notitiæ vtriuſque Imperij, qui ſic habet:

Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Prouinciæ Sequanici.

Milites Latauienſes Olinone.

Officium autē habet idem vir ſpectabilis Dux hoc modo: Principem ex officiis magiſtrorum militum præſentalium à parte peditum.

Numerarium vtrumque.
Commentarienſem.
Adiutorem.
Subadiuuam.
Regendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos officiales.

Inſigne Ducis Sequanici liber eſt (vt aliorum Ducum) ſic inſcriptus:

F L

INTALL

COMORD

P R.

Pancirolus ſic explicat: *Felix liber, iniunctus notariis, Tribunis à laterculo, continens mandata, ordine Primicerij.* Libro ſuppoſitum eſt caſtrum magnificè conſtructum, cui ſuperſcriptum, *Olino*, quod nomen eſt vici iuxtà Baſileam, vbi trecenti milites olim degebant, dicto Duci parenres; ſub quo militabant etiam Sequani, quorum auxilio ſæpius vſos Romanos, tum ex libro Notitiæ vtriuſque Imperij notiſſimum eſt, tum ex Golthſio, qui in theſauro rei antiquariæ, ex veteri inſcriptione deprompſit hunc titulum:


COHORS. XVI. SEQVANORVM.
IN. CAPPADOCIA.

Notitia verò Imperij aliquot locis illud inſinuat in Occidente, vt; *ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Comitis Prouinciæ Rhetiæ primæ, & ſecundæ, Præfectus alæ ſecundæ Valeriæ Sequanorum, Vimania.* Pancirolus in comment. ſic exponit: *Præfectus alæ ſecundæ Valeriæ Sequanorum, Vimaniæ caſtra tuebatur: Hæc ala erat equitum Sequanorum, qui nunc pars Burgundiæ, & ala ipſa*

Valeria

Valeria vocabatur, fortè quod diu in Valeriâ eſſet morata.

Deindè ſub diſpoſitione viri illuſtris magiſtri peditum, inter auxilia palatina, Notitia *Sequanos* vniuerſim enumerat, qui orbem aureum rubro circulo incluſum, in viridi clypeo geſtant; & ſub eodem magiſtro inter legiones Comitatenſes, *Veſontes* reponit cum propriâ parmâ, quam in ſuâ militiâ Romanâ refert Lipſius; necnō Pierius lib. Hierogl. 40. à quo ferè ad verbum ſequentia deſumpſit Pancirolus: *Veſontes à Veſontio Æduorum (* lege *Sequanorum) oppido, nunc Biſuntiono appellati, albam parmam habent, quatuor cæruleis peltis inſignitam, quæ æqualiter inter ſe diſtantes orbem rubro circulo incluſum circumſtant; Is nigris lineis decuſſatus in quatuor partes diuiditur, quarum duæ albæ, & duæ rubeæ* (melius Pierius, *duæ ceruleæ*) *permanent: parmæ marginem limbus cæruleus cingit. Vnicum Romanum Imperium, etſi diuiſum à quatuor orbis partibus defendi circùm diſpoſitæ peltæ indicant.*



Quid ſinguli denotent colores, ex Panciroli documentis lib. 1. cap. 37. placet explicare. Albus, ſeu argenteus parmæ color, animi candorem, puritatémque, vel, vt alij, fidem inſinuat, ex planetis Lu-

nam, ex ſignis Cancrum, ex lapillis Margaritam, Beryllúmque, ex Elementis aquam, phlegma ex humoribus, ex ætatibus infantiã refert. Limbi cærulei, & peltarum color cæruleus, Iuſtitiæ & claritatis,famæq́; eſt ſymbolum, planetæ Veneri reſpondet, ſignis cæleſtibus Tauro, & Libræ, Elemento aëris; Item ſanguini, pueritiæ, æſtati, ac ſapphiro, qui poſt ſmaragdum mirificè aciem oculorum recreat, & geſtatorem ſuum (ſi quibuſdam creditur) caſtum, fortem, mitémque efficit, atque in occupandâ cuiuſlibet gratiâ mirè felicem. Color circuli rubeus magnanimitatem refert, & amori omnium mentis affectuum nobiliſſimo, Marti quoque, Arieti, Scorpio, Carbunculo, Corallio, Igni, Autumno, bili, ætati virili, roſis rubentibus, & ferro ſolet accommodari. Crux decuſſata nigra prudentiæ, & firmitatis ſignum (quòd is color in alios non amplius tranſeat) Saturno reſpondet, ſignis cœleſtibus Arieti, Aquario, & Geminis; Item Adamanti, Achati, & Chelidonio, Elemento Terræ, Hyemi, melancholiæ, ætatíque decrepitæ,& plumbo, ex quo fit color niger. Eſt autem crux illa decuſſata in formam literæ X, vt non quamuis crucem deſignaret, ſed illam in quâ Chriſtus eſt paſſus (quamquàm ſitu diſſimilem) cuius Græci nominis prima littera eſt X, quod Braccatis iunioribus annotauit Pancirolus lib. 1. cap. 39.

GYMNASTICA APVD Biſontinos: Batualia: Campus Rotundus: Arenæ: Porta Trois.

CAPVT XXXI.

PRÆTER literarium ludum, quem in publico gymnaſio in ſuis Exedris Philoſophi, & Rhetores Veſontione exercebant, alia multa fiebant à Iuuenibus exercitia, qui præter argutam loquutionem, rem militarem *induſtrioſiſſimè* perſequebantur, vt loquitur Cato apud Soſipatrum; deambulabant enim in Xyſtis, Palæſtrâ decertabant in Ephebæis, veſtes deponebant in Apodyterio, fouebantur in tepidario, ſudabant in Laconico, pilâ ludebant, ſaltabant, Pancratio denique, haſtâ, diſco, cæſtu, curſu, & aliis ludis exercebantur, Romano more, in campo Marti ſacro, in quo natandi modum æſtiuis menſibus Tyrones condiſcebant, vt ſi quando gerendi belli causâ peregrè profecti in aquarum difficultates inciderent, nec vitæ diſcrimen incurrerent, nec ab hoſtibus capi poſſent. Ob id maiores noſtri induſtriæ Romanæ ſemper æmuli, Dubis aquam muros Campi Martij alluentem, per occultos ductus in Campum ipſum deriuarunt, vt quod Romæ Tyberis, id Veſontione præſtaret Dubis. Vegetius libr. 1.

de re militari cap.1. *Romani veteres, quos tot bella, & continuata pericula ad omnem rei militaris erudiuerant artem, Campum Martium vicinum Tyberi delegerunt, in quo iuuentus, poſt exercitium armorum, ſudorem, puluerémque dilueret, ac laſſitudinem, curſúſque laborem natando deponeret.*

Primus Romanorum, Imperator Iulius, Campum Martium noſtrum nobilitauit; in eo enim, dum in Ariouiſtum arma cieret, exercitum ſuum luſtraſſe fertur; *—illic ſtetit aggere fultus*
Ceſpitis, intrepidus vultu,
militéſque ſuos, immania Germanorum corpora reformidantes, ad certamen concitauit: nunc omni exercitationis genere celeberrimus eſt Campus.

Apud Veſontinos verò, duos olim fuiſſe Circos putarunt aliqui, vbi nunc *vici maioris*, & *minoris Batenti*; quos tamen ideò nominatos exiſtimo, quòd eò loci eſſent *Batualia*, ſiuè, vt in Græcis Gloſſis, γυμνασίαι τῶν μονομάχων, Gymnaſia ſcilicet, in quibus Tyrones Gladiatores cùm inſtituerentur, exercitationis causâ pugnabant, & rudibus batuebant, de quibus Adamantius Martyr apud Lipſium libr. 1. Saturnal. cap. 15. *Battualia, quæ vulgò Battalia dicuntur, exercitationes gladiatorum, vel militum ſignificant.* Scholæ illæ nunc prorſus deletæ ſunt. Campi Rotundi nomen plebs retinuit viculo, vulgò, *Champ-Rond*, vbi nuper erutum vidi ſignum æneum palmare cuiuſdam, vt puto, Annonæ Præfecti, qui forſan ibi fuerat honorificè ſepultus.

Vnum

Vnum prætereà fuit Amphiteatrum, in quo Maximæ Sequanorum Præſes Gladiatores dabat, cuius fundamenta, & dirutas porticus videre licet, vbi nunc ædicula S. Iacobi, extra muros, à quâ non procul abfuit Domus quædam Ciſtertienſis Ordinis nunc deleta, cuius ſacella duo ſubterranea detecta ſunt anno 1597. cùm murus Ciuitatis inſtauraretur. Remanſit etiam & portæ Ciuitatis, & vico vicino priſcum Arenarum nomen. Latum erat circiter paſſus centum & viginti; longitudinem definire difficilius eſt, cùm, vnâ ex parte, ciuitatis obſtent propugnacula, ex aliâ vineæ non longè à Campo nigro diſſitæ, in quibus quamplurima eruuntur antiqua numiſmata: Vnde quæſo? ſpargebant illa in ludis ſuis. Martialis lib.8. de ludis Stellæ ad Cæſarem:

Nunc veniunt ſubitis laſciua nomiſmata nimbis,
Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.

Portam autem Amphiteatri noſtri, *portam arenarum* olim dictam (vt in inſtrumento Calixti II. anni Dom. 1120. quod in chartulario Magdalenſi) quæ intrà muros Ciuitatis integra conſpicitur, *portam Troiæ* dicunt Biſontini; fortè quòd à Troianis fuerit condita, vel meliùs, quòd in arenis illis ſeſe ludicro illo exercerent in equis nobiles iuuenes Biſontini, quod priſcis *Troia* dicebatur, cuius mentio apud Tacitum lib. 11. annal. Suetonium in Iulio, Xiphilinum in Auguſto, & Virgilium 5. Æneid. his verſibus:

Hunc

Hanc morem curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius longam muris cum cingeret Albam
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos;
Quo puer ipſe modo ſecum quo Troïa pubes,
Albani docuêre ſuos, hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem:
Troiáque nunc pueri, Troianum dicitur agmen.

Vnde torneamenta, quaſi *Troiamenta*, Gallorum, & Germanorum equeſtria ludicra fuiſſe dicta notat Lazius comment. Reip. Rom. lib. 1. cap. 2. Arenarum verò noſtrarum non meminit Lipſius in libello ſuo *De Amphiteatris, quæ extrà Romam:* vt enim ipſemet fatetur cap. 1. multa ipſum fugerunt; nam & Patauinas etiam omiſit, quarum pulchra vidimus veſtigia in ædibus *Foſcarorum*, vbi locus etiam nunc retinet nomen Arenarum.

AQVÆDVCTVS: PORTA Sciſſa: Caſtellum aquarum: Naumachia: Fontes.

CAPVT XXXII.

ROMANOS (qui ſuam admirandam in magnæ molis operibus induſtriam vbique demonſtrarunt) ex aquis maximè mira præſtitiſſe teſtatur Plinius libr. 36. cap. 15. his verbis: *Si quis diligentiùs æſtimauerit aquarum*

rum

rum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis, villis, ſpatióque aduenientis exſtructos arcus, montes perfoſſos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis admirandum eſſe in toto orbe terrarum. At hæc Romæ, dices: Immò non omnia; nonnulla in æmulâ Romæ Veſontione, horum ſuperſunt monumenta, *Aquæductus, Caſtellum, Naumachia*; nam,

Ad gremium ſacri nemoris, quod ſylua coronat,
Fons ſcatet,

iuxtà pagum quemdam, *Arcie* à Cæſareis arcubus cognominatum, quarto circiter ab Vrbe milliari diſſitus, qui per canales ſtructiles, nunc multis in locis etiam integros, in Ciuitatem Sequanorum perducebatur, perfoſſo monte Cœlio, vbi *porta* Ciuitatis *ſciſſa*, vulgò, *la porte taillée*, vt opus eſſet magnificentius: Montes enim, qui rectis aquarum decurſibus obſtabant magno labore exſcindebant Romani. Tacitus lib. 12. annal. *Sub idem tempus, inter lacum Fucinum, amnémque Lirim, perrupto monte, quò magnificentia operis à pluribus viſeretur, lacu in ipſo prælium nauale adornatur.*

Inſcriptio aquæ Marciæ Romæ ad Portam Eſquilinam.

Q. IMP.

177. I. IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FOELIX. AVG. PARTH. MAXIM. BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS. AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS. MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONIANO. IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Vbi autem ad primitiuam Eccleſiam S. Stephani (quæ nunc S. Ioannis) Aquæductus noſter peruenerat, ibi propè *Portam Nigram*, lacus publicus, ingentis magnitudinis (vt ruinæ detectæ nuper indicarunt in vicinis ædibus) oualis figuræ fuerat exſtructus, in quem aquæ, per vicinum Aquæductum, ad Caſtellum, & minores lacus properantes, dum lubebat deducebantur, ad publicas (vt quibuſdam placet) & nauales pugnas, velut in mari paruo. De ſimili *Domitiani* Martialis lib. 1.

Si quis ades longis ſerus ſpectator ab oris,
Cui lux prima ſacri muneris iſta fuit;
Non te decipiat ratibus naualis Enyo,
Et par vnda fretis; hîc modò terra fuit.
Non credis? ſpectes dum laxent æquora Martem,
Parua mora eſt, dices, hîc modò pontus erat.

Non procul aberat ab illo lacu *Caſtellum aquarum* (Turrim veterem S. Quintini nõnulli fuiſſe putant)

ex quo

ex quo per tubos aptos, aqua vt Romæ dupliciter diuidebatur; Primò ad ſalientes, & lacus publicos, ex quibus plebs hortos irrigaret, lintea ablueret, & alia commoda ſortiretur; deinde ad fullonum, & coriariorum neceſſitates, in balneas: Cur non etiam in priuatas domos? Frontinus contradicit, dum aquam omnem in publicos vſus apud antiquos erogari ſolitam affirmat, legéque cautum, ne priuati aliam ducerent, quàm quæ ex receptaculo publico in humum decidiſſet, quam *caducam* vocabant. Sed duplicis erogationis aquarum, quam attulimus, duplicem modum inuenimus; nam quæ ad ſalientes, per fiſtulas plumbeas deducebantur, quales antè paucos annos in pluribus Ciuitatis locis effoſſas viderunt plerique ciuium; quæ verò ad balneas, per ipſos canales ſtructiles, quales in Campo Martio reperti, cum Capucinorum religioſæ domus fundamenta jacerentur. Qui Caſtello, ſiuè Turri aquarum præerat, *Dominus Turris*, & *Caſtellarius* dicebatur, aquarum publicarum cuſtos.

Sed cuius Romana hæc opera? Iulij Cæſaris eſſe credit Muſarum delicium Blaſius Iaquotius I.C. Veſont. quod mihi ſuo eleganti, & luce digno carmine teſtatus eſt: ecce porrigo.

Hîc, vbi flauentes Cereali gramine campos
Sextus Sequanicâ ſignat ab vrbe lapis;
Quiſquis inexhauſto mirabere gurgite fontem
Pinguia diruptâ prata rigare viâ,
Molliter educti ſcandas iuga florida montis,

Quà vitreum ſurgens abdidit vnda caput ;
Aſpicies Latij monimenta perennia faſtus,
Structáque cognato dona ſuperba ſolo.
Ipſe ſuum commendat opus, qui condidit autor,
Artificem decorat fama ſecunda fabrum.
Callidus, & placido fœlix moderamine Cæſar
Imperiis fugiens proxima damna nouis,
Fercula Germano victor referebat ab orbe,
Et vectigales fœda tributa comas:
Cumque Veſontinæ ſitiens exercitus Vrbi
In loca laſſatis iuncta veniret equis,
In galeis ſolitæ Rhenum potare cohortes
Ibant ad liquidi pura fluenta Dubis ;
Ac propè piſcigerum minuiſſent agmina flumen,
Et Dubis epotâ pigrior iſſet aquâ ;
Sed pius omiſſo reuocauit vomere turmas,
Oſtenditque ſacri fontis arator iter.
Tunc ferus, & multo conſperſus puluere miles
Protinus oſtenſum pergit adire nemus ;
Et quamquam arenti coqueretur lingua palato,
Vſtáque continuus finderet ora calor ;
Hunc tamen ardorem pietas præceſſit, & antè
Quàm biberet, ſacras quiſque precatus aquas.
Ipſe prior (quàm rara ducum ſolertia) Cæſar
Præbibit expanſâ ſumpta fluenta manu.
Cætera turba ſacrum mox depopulata liquorem
Epoto miſeram merſit in amne ſitim.
Tunc vaga Tyrrheno coïerunt agmina cantu,
Et digeſta ſuum Caſtra ſecuta Ducem:

Móxque

Móxque Veſontinæ, fuerant modo cognita, gentis
Intrauit ſpatio mœnia clara breui,
Ac ſibi guſtati recreatus imagine fontis
Cæſareâ ſtatuit reddere mente vicem.
Et quia perdomitos clementia mitigat hoſtes,
Nec retinet partas victor iniquus opes;
Ne modo deuinctas ſociali fœdere terras
Ad noua Romanus pelleret arma rigor;
Prætulit imperio Dominum, pietate parentem,
Regnandíque nouâ repperit arte modum:
Nam quæ Barbaricis erepta pecunia terris,
Non fuit Auſonio tota dicata Ioui:
Tranſiit in luxum belli furor, atque voluptas
Summa fuit populis quod pauor antè fuit.
Deuictæ monimenta ſibi gratiſſima gentes
Videre, & ſumptu facta theatra ſuo.
Prima Veſontinâ, maioráque munera Cæſar
Sequanicæ Dominâ gentis in vrbe locat.
Protinus ingenti ſurrexit ad æthera mole
Feſta theatrales ſcena datura iocos;
Et modò, quæ tenues habitarant Sequana ſellas
Numina, marmoreas incoluere domos.
Totáque Panchæâ ſimulacra fragrantia nube
Cultores primùm pertimuere ſuos.
Magna fuit ſtructi moles, & fama theatri
Magnáque pauperibus templa dicata Diis;
Sed mage perducti vicina per oppida fontis
Gloria, Cæſareum nobilitauit opus;
Nam quoties in mediâ periit gladiator arenâ?

Perdidit inſontes beſtia quanta reos?
Tota ſed immenſum cùm præterlapſa canalem
Vſque Veſontinum curreret vnda forum:
Huc ſolitus denſâ populus concurrere turbâ
Diſcebat nullo nautica bella metu:
Lætáque feſtiui peragebant prælia ciues,
Nec fictus verâ laude carebat honos.
Longa quidem arreptos mergebat pertica lintres;
Inque manufactas nauta cadebat aquas:
Nec tamen æquoreis ſuſpendere tegmina Diuis,
Nec ſibi conceſsâ dona vouebat ope.
Ludicra ſanguineo diſcrimine pugna carebat
Prodere pugnaces non minùs apta viros:
Roſtratas ſibi quiſque parans ſine cæde coronas
Rettulit in mœſtam vulnera nulla domum.
Vnica laus fuerat, fuerat labor vnicus hoſti
Oppoſitam ſaltu præcipitare ratem.
Talia magnanimus quondam ſpectacula Cæſar
Ciuibus impendit Seqnana terra tuis.
Contulit emiſſo ſpectacula talia fonte
Dum cuperet dubiam conciliare fidem:
Néve minùs gratas faceret mora paucula pompas,
Et traherent longi præmia tanta dies,
Immenſum properauit opus, lucróque premente
Contraxit parcus tempora multa labor.
Vnica Cæſareis Natura occurrere votis,
Clauderéque oppoſitâ rupe volebat iter:
Sed ferus, & Lybici repetens monimenta furoris
Miles in aduerſum contulit arma iugum:

Tunduntur

Tunduntur ſcopuli, duris crepat ictibus æther,
Et cedit ferro verberibúſque ſilex.
Ac licet emiſſæ præceps foret impetus vndæ,
Quæ modò veliuoli pars bona facta maris,
Haud tamen æternâ ſolidos ex caute canales
Veloci potuit rodere lympha gradu.
Totque per innumeros vidit ſpectacula Soles
Obſequio fælix Sequana terra ſuo:
Et ſupereſſet adhuc, ſed tempore ſæuior omni
Perfide Cæſareum Vandale perdis opus:
Nil agis infælix, Martémque habiture ſiniſtrum,
Nunc etiam maius fama fuiſſe putat.

Eleganter ſanè; ſed huic ſententiæ vix aſſentiri poſſum, cùm Iulius Cæſar Veſontione diu non egerit, & quidem rebus bellicis valdè diſtentus. M. Agrippæ potiùs Veſontione cum ſuo exercitu commoranti, priuſquam Rhenum tranſiret, hoc opus tribuerem; præcipuum enim eius ſtudium ſemper fuit, aquas in vrbes, in quibus morabatur deducendi; *Is curâ ſingulari Virginem* (fons erat olim Romæ) *aliáſque plurimas ſalientes aquas, in vrbem perduxit,* ex Iulio Frontino de Aquæductibus. Plinius lib. 36. cap. 15. *Agrippa in Ædilitate ſuâ, adiectâ Virgine aquâ, cæteris corriuatis, atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit; præterea ſalientes centum quinque, caſtella centum triginta, complura etiam cultu magnifica.* Adde quod *Auguſtus* (apud Tranquillum) *querentem de inopiâ, & caritate vini populum, ſeueriſſimâ coërcuit voce, ſatis prouiſum à Genero ſuo Agrippâ, perductis pluribus aquis ne homines ſitirent.*

ſitirent. Is denique aquis adeò delectabatur, vt non tantùm in riuulis deducendis, cunctis eſſet admirationi, ſed in præliis naualibus ſemper triumpharet; Sciuit Pompeius; Nummus æreus hîc frequens id teſtatur ſatis, vbi M. Agrippa,

Tempora nauali fulgens roſtrata coronâ,



cum aquarum Deo Neptuno in parte auerſa, qui & fortaſſis ad fontis ſcaturiginem à priſcis colebatur, aut certè aquæ numen ipſum: ſacrabant enim Diis ſuos fontes, & ad eorum capita aras collocabant. Veſtigia ſacri fontis reſtant in viculo *Goux*, propè Dolam, vbi in perennis ſcaturiginis capite, columna marmorea antiquiſſima viſitur, circà quam teſſellati pauimenti reliquiæ ſuperſunt.

Poſt dirutum multis locis antiquum (non à Vandalis, ſed potius ab Hunnis, vt part.2. in Celidonio indicabimus) aquæductum, fœcundiſſimos fontes ex monte Brigillæ per tubos aptos deriuarunt aui noſtri.

Primus eſt in plateâ Batualium lapideus Bacchus pampineis vinctus tempora ramis, qui per dolium, cui

cui inſidet aquam plebi largitur.

Sequitur propè pontem fons, tribus tubis æneis, & tribus Chryſopolitanis Aquilis, trium Charitum velut vberibus inſignis, ſacro quippè illis monti vicinus.

Tertius eſt Tritonis Neptuni tubicinis in foro piſcario.

Per eoſdem ductus, aquæ ſubminiſtrantur Aquilæ bicipiti æneæ, cui velut in apotheoſi laureatus inſidet inuictiſſimus Carolus Quintus Auguſtus, dextrâ enſem nudum, ſiniſtrâ mundi globum geſtans, Polycleti cuiuſdam admirandum opus, Ciuicæ domus foribus appoſitum in medio foro, cui ſuperpoſitum Ciuitatis vetus ſymbolum : PLEVT A DIEV.

Quintus ad Carmelitarum ædes, vbi Neptunus lapideus dextrâ tridente armatus Delphino inſidet.

Vltimum eſt ad turrim Quintiniam Nymphæ cuiuſdam ex ruffo lapide (Vnde *Ruffam* vocant,) ſimulachrum, cuius mammæ aquâ limpidiſſimâ lactis inſtar diffluunt.

SEGVINVS BRENNI SOcer Sequanorum Rex Veſontione: Brenni de Romanis victoria.

CAPVT XXXIII.

VT in Celticâ olim Galliâ, longè antè Romanorum aduĉtum, plures fuêre Reſpublicæ peculiaribus ſeorſim legibus vtentes, Sequanorum, Æduorum, Lingonum, Bellouacorum, Rhemorum, & aliæ: ſic vnaquæque ſuum habebat Principem, ſeu Regulum, cui parebat: ex quibus vnum ſolum aliquando totius Galliæ principatum obtinuiſſe legitur apud Cæſarem, Strabonem, & alios autores. Talem fuiſſe *Següinum* (vel fortè melius *Sequanum*, Græcè *σηκυανὸν*) & Celtarum Imperium tenuiſſe apud Biſontinos probat antiqua ſedes eius in ipſorum Ciuitate; nam, vt canit *in Pantheo* Godefridus Viterbienſis (olim à Conrado III. Friderico I. & Henrico VI. Imppp. ſacris, & ſcriniis præfectus, qui peregrinatione terrâ, maríque, per quadraginta annos exercitatus, linguarum exterarum gnarus, omnes omnium quas adiit gentium bibliothecas excuſſerat.)

Sede Biſontinus fuerat tunc Rex Següinus.

Regni Sequanici amplitudinem ſequentibus aperit: *Cuius*

Cuius erat Sena Fluuius, Rhodanúſque marinus,
Primáque pars Araris, Allobrogúſque ſinus.

Brennus Següini filiam vxorem duxit, & ſoceri regno ſucceſſit, eodem teſte:

Vxor erat Brenni Següini filia Regis,
Cuius ab auxiliis Dux Gallica regna ſubegit,
Sequana cum Ligeri Brennica ſigna vehit.

& paulò pòſt:

Defuncto ſocero fit regni Brennius hæres,
Qui modo Romanum regnum confiſus habebat,
Intrat in Italias agmina multa ferens.

Noſter enim Brennus Romanos cum exercitu Gallorum copioſo, tanto impetu ſtrauit, vt eos quaſi aridam ſegetem ſucciderct. Militum verò maior turba Sequani Biſontini fuère, cum Brenni Biſontini Regis vxor fuerit Biſontina, cuius dote copiæ illæ ſuſtentabantur; Vnde Viterbienſis:

Cuius ab auxiliis Dux Gallica regna ſubegit.

Hiſtorici ferè omnes victoriam hanc Senonibus tribuunt, ſed autor citatus Sequanos (qui nunc Burgundiones) intelligit: *Anno ab vrbe condita 364, Sueui & Senones Galli, id eſt Burgundiones, Allobrogi, ſub Duce Brenno Italiam intrant, Romam petunt*, &c. Humbertus Monmoretanus: *---ſub cardine cæli*

Quis populus neſcit, quantùm Burgundia bello
Polleat? experta eſt vaſti ſummum ardua mundi
Roma caput, quantùm flexis gens Sequana frænis
Et quantùm pedes illa valet, cùm Principe Brenno
Italicæ victrix perterruit oppida terræ,

Cornigerúmque Iouem Libyes, Cyrrhæque bicornis
Propulit attoniti trepidantia numina Phœbi.

Hoc bellum Liuius, Iuſtinus, aliíque multis recenſent, quæ in hæc pauca contraximus. Anno Vrbis conditæ 364. (aliis 363.) Marcus Cædicius de plebe Tribunis nunciauit, ſe iuxta ædem Veſtæ in viâ nouâ vocem audiiſſe, humanâ clariorem, quæ Gallos aduentare Magiſtratibus dici iuberet; ſpernuntur viri humilis vera præſagientis monita: Marcus Furius (*quo manente*, inquit Liuius, *ſi quidquam humanorum certi eſt, capi Roma non poterat*) vrbe expellitur: Ecce Romam aduentant legati ab Cluſinis, auxilium contra Gallos petentes, qui iam tranſactis Alpibus omnes illius tractus populos ſub iugum miſerant. Tres M. Fabij Ambuſti filij à S. P. Q. R. pacem pro Cluſinis à noſtris rogaturi mittuntur, quam vltrò pollicentur, modò ipſis pars agri Cluſini ab incolis concedatur; Romani ius id non eſſe exponunt; noſtri ſe ius in armis ferre, & omnia virorũ fortiũ eſſe reſpondent; Tunc accenſis vtrimque animis, manus conſerunt, & iure gentium violato Legati P. R. prælio ſe immiſcent; quod videntes noſtri, Cluſinis relictis Romam protinus delere cogitant: Nec mora, versùs vrbem ſigna conuertunt, & citato agmine iter aggrediuntur: tum præmoniti à Cluſinis Romani, cum tumultuario exercitu vndecimo ab Vrbe lapide, quâ flumen *Allia* amni Tiberino miſcetur; ipſis occurrunt. Facta tum maxima ſtrages; pars hoſtium cæſa Veios, pars Romam aufugit. Noſtri intereà

intereà cæſorum ſpolia legunt, armorum cumulos coaceruant, & paulò pòſt Vrbem triumphantes ingrediuntur, incendio domos vaſtant, plebem ædiũ ſuarum lapſu ſepeliunt, Senatores in ſuis ædibus trucidant, & totam lamentis implent Ciuitatem. Hæc eſt Regis noſtri Brenni & Celtarum omnium, ſed maximè Biſontinorum de Romanis rerum dominis victoria, nobilior ſanè, quàm vtilior; poſtmodum ſiquidem tantæ palmæ virorem, cruentâ ſtrage ſors inuida peruertit; illicò enim Vrbe recuperatâ pars pulſi, pars cæſi, & ex eorum cadaueribus *buſta publica* ſunt parata.

TEVTONVM REGES A Sequanis in Alpibus capti.

CAPVT XXXIV.

SICVT hoſtes Pop. Romano multùm obfuêre Sequani, ita amici facti, & in fide, amicitiâque permanentes profuêre. Socia quidem fides aduerſus Teutonas, & Ambrones patuit ſatis, qui cùm (teſte Plutarcho, *in Mario*) in Italiam infeſtam aciem inferrent, à Mario ad aquas Sextias cæſi magna pars, capti quamplurimi, cæteri in fugam auerſi: Verùm cùm aliunde Catulus exercitu in Cimbros moto, Alpium iuga ſe tueri poſſe diffideret, & Barbarorum immanitate,

&vaſtitate corporum perculſi milites fugam meditarentur, nec iam ad congreſſum eſſet animus, ſed amne Atheſi hoſtibus obiecto ſe continerent, Marius accitus ſuperuenit. Tum Cimbri cladis Teutonum & Ambronum ignari, planè barbaro cum faſtu à Mario per legatos ſibi, & fratribus agrum, & oppida aſſignari petierunt, vbi tandem deſignatâ ſede conſiderent. Percunctante legatos Mario de fratribus, cùm illi Teutones dixiſſent, Romani in riſum effuſi: Tum ad Cimbros Marius, *Omittite*(inquit) *fratres,habent enim à nobis datam terram,ſempérque habebunt.* Hoc aceto perfuſi legati comminantes Imperatori, daturum pœnas Cimbris, & Teutonibus, cùm aduenissent,reſponderunt. *At,* inquit Marius, *præſtò ſunt,nec decet vos niſi ſalutatis abire fratribus.* Illicò vinctos Teutonum Reges produxit; *Nam*(ait Plutarchus) *in Alpibus fuerant à Sequanis retracti.*Intellexit autem per Alpes Plutarchus, Iuræ montes, aut colles Veſontioni, & Salinis circumfuſos, qui ſunt Iuræ appendices ; Alpes enim propriè dictas nunquam incoluêre Sequani. Nihilominus Strabo Sequanam, & Ararim flumina ex Alpibus labi affirmat, quorum prius in Ducatu Burgundiæ, alterum in Vogeſo monte Lotharingiæ contermino, longè ab Alpibus originem ducit.

Mariani de Cimbris & Teutonibus triumphi fidem faciunt numiſmata vetera, quæ præ manibus habemus: Similia refert Golthſius in faſtis Magiſtratuum, & triumphorum Romanorum, in quibus ex vnâ

ex vnâ parte videre eſt alatum Victoriæ caput, ex alterâ verò conſpiciuntur quadrigæ triumphales trahentes currum, cui inſidet Victoria cum hac inſcriptione. C. MARI. C. F. ROMA. Contigit hoc anno ab Vrbe condita DCLII.

INIMICITIÆ INTER Æduos, & Sequanos: Galli per Ariouiſtum fuſi ad Magetobriam: Cæſar occupat Veſontionem, & ſuperat Ariouiſtum.

CAPVT XXXV.

BELLVM per noſtros, in Romanos pridem geſtum, inter vtroſque odium maximum concitauit: Ob id Strabo Geograph. lib. 4. dixit: πέραν δὲ τοῦ ἄραρος οἰκοῦσιν οἱ σηκουανοὶ διάφοροι καὶ τοῖς ῥωμαίοις ἐκ πολλοῦ γεγονότες καὶ τοῖς ἐδούοις, ὅτι πρὸς γερμανοὺς προσεχώρουν πολλάκις, κατὰ τὰς ἐφόδους αὐτῶν, τὰς ἐπὶ τὴν ἰταλίαν. καὶ ἐπεδείκνυντό γε οὐ τὴν τυχοῦσαν δύναμιν, ἀλλὰ καὶ κοινωνοῦντες αὐτοῖς ἐποίουν μεγάλους, καὶ ἀφιστάμενοι μικρούς: *Trans Ararim domicilia tenent Sequani, & Romanis, & Æduis dudum aduerſantes, qui Germanis ſæpius adhærebant, eorumque in Italiam impetus inuitabant, adeò vt illis communiter quidem immiſſi eorum vires amplificarent, deſiſtentes autem imminuerent.* Sed qui acerrimi Romanorum fuerant hoſtes, cum his poſtmodum arctiſſimum amicitiæ fœdus iniuêre: Sequani

enim

enim fuerũt ex primoribus Galliæ comatæ, de quibus Cornelius Tacitus lib. ij. Annal. *Primores Galliæ, quæ comata appellatur, fœdera, & Ciuitatem Romanam pridem aſſecuti.* Et expreſsè 20. Annal. *Sequanos Ciuitatem nobis fidam.* Ipſe Iulius lib. 5. de bello Gal. refert, *M. Meſſalla, L. Piſone Cos. Senatum cenſuiſſe, vti quicunque Galliam prouinciam obtineret, quod commodo Reip. facere poſſet, Aeduos cæteróſque amicos Pop. Rom. defenderet.* Inter amicos illos Pop. Romani, procul dubio Sequanos Biſontinos intelligit, quorũ Rex *Catamantaledes* S. C. amicus pop. Romani dictus fuerat, de quo Imperator lib. cit. *Perſuadet* (Orgetorix) *Caſtico Catamantaledis filio Sequano cuius pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat & à S. P. Q. R. amicus appellatus erat, vt regnum in ſua Ciuitate occuparet, quod pater antè habuerat:* Ita nonnulli Codices; meliùs alij ſic habent; *à Senatu Populi Romani amicus appellatus erat*: tum quia id Cæſaris textus ſuprà citatus indicat; tum quia nuſquam legitur, quòd ea autoritas penes Pop. Romanum fuerit, ſed ſolùm penes Senatum: Cæſar lib. 7. *Teutomatus Ollouiconis filius Rex Nitiobrigum, cuius pater ab Senatu noſtro amicus appellatus erat, &c.* amicus ſcilicet Populi Romani; quo modo Ædui fratres eius fuêre dicti, vt in Panægyrico Flauienſium habetur: *Primi omnium inter immanes illas, & barbaras Galliæ gentes, plurimis Senatuſconſultis fratres populi Romani appellati ſunt.* Inito igitur iampridem cum Romanis fœdere, orta contentio de Arari Sequanos inter & Æduos maximas concitauit inimicitias;

quia

quia enim fluuius ille harum duarum gentium diſcriminabat fines, eum, eiúſque vectigalia vnaquæque ſibi faciliùs vendicabat, vt lib. cit. notauit Strabo. Veteris illius odij damna Diuitiacus Æduus, non ſine lachrymis narrauit Cæſari lib. 1. dicens; *Galliæ totius factiones eſſe duas: Harum alterius principatum tenere Aeduos, alterius Aruernos: Hi cum tantopere de potentatu inter ſe multos annos contenderent, factum eſſe vti ab Aruernis, Sequaniſque Germani mercede accerſerentur: Horum primò circiter millia quindecim Rhenum tranſiiſſe; poſteaquam agros, & cultum, & copias Gallorum homines feri, ac Barbari adamaſſent, tranſductos plures; nunc eſſe in Galliâ ad* C. *&* XX. *millium numerum: cùm his Æduos eorúmque cliẽtes ſemel, atque iterum armis contendiſſe, magnam calamitatem pulſos accepiſſe; omnem Nobilitatem, omnem Senatum, omnem Equitatum amiſiſſe: quibus præliis, calamitatibúſque fractos, qui & ſuâ virtute, & Pop. Romani hoſpitio, atque amicitiâ plurimum ante in Galliâ potuiſſent, coactos eſſe Sequanis obſides dare Nobiliſsimos Ciuitatis, & iureiurando Ciuitatem obſtringere, ſeſe neque obſides repetituros, neque auxilium à Populo Romano imploraturos, neque recuſaturos quo minùs perpetuò ſub illorum ditione, atque imperio eſſent: Vnum ſe eſſe ex omni Ciuitate Aeduorum, qui adduci non potuerit, vt iuraret, aut ſuos liberos obſides daret: ob eam rem ſe ex Ciuitate profugiſſe, & Romam ad Senatum veniſſe auxilium poſtulatum: quòd ſolus neque iureiurando, neque obſidibus teneretur. Sed peius victoribus Sequanis, quàm Aeduis victis accidiſſe, propterè quòd Ariouiſtus, rex Germanorum in*

eorum finibus conſediſſet, tertiámque partem agri Sequani, qui eſſet optimus totius Galliæ, occupaſſet, & nunc de alterâ parte tertiâ Sequanos decedere iuberet, propterea quòd paucis menſibus ante, Harudum millia hominum XXIV *ad eum veniſſent, quibus locus, ac ſedes pararentur: futurum eſſe paucis annis, vti omnes è Galliæ finibus pellerentur, atque omnes Germani Rhenum tranſirent; neque enim conferendum eſſe Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc conſuetudinem victus cum illa comparandam. Ariouiſtum autem vt ſemel Gallorum copias prælio vicerit, quod prælium factum ſit Magetobriæ, ſuperbè & crudeliter imperare, obſides nobiliſſimi cuiuſque liberos poſcere, & in eos omnia exempla cruciatus edere, ſi qua res non ad nutum, aut ad voluntatem eius facta ſit; hominem eſſe barbarum, iracundum, temerarium: non poſſe eius imperia diutius ſuſtineri, niſi quid in Cæſare, populóque Romano ſit auxilij, omnibus Gallis idem eſſe faciendum, quod Heluetij fecerint, vt domo emigrent; aliud domicilium, alias ſedes remotas à Germanis petant, fortunámque, quæcunque accidat, experiantur; hæc ſi nunciata Ariouiſto ſint, non dubitare, quin de omnibus obſidibus, qui apud eum ſint, grauiſſimum ſupplicium ſumat: Cæſarem vel autoritate ſuâ atque exercitus, vel recenti victoriâ, vel nomine populi Romani deterrere poſſe, ne maior multitudo Germanorum Rhenum traducatur, Galliámque omnem ab Ariouiſti iniuriâ poſſe defendere.* Hæc Diuitiacus apud Cæſarem, qui *Magetobriam*, vbi Gallorum copias vnico prælio fudit Ariouiſtus, adeò leuiter & ieiunè tangit, vt eius ſitum nemo huc vſque rectè potuerit aſſignare. Marlianus in indice

al. Amagetobriæ.

in indice, *Toaut* locum Rheno proximum temerè facit; vero enim ſimile non eſt Ariouiſtum tot Germanorum, Harudum, & Sequanorum millibus comitatum, & *in cuius poteſtate omnia Sequanorum oppida erant*, (vt paulò pòſt notat Cæſar) Gallorum copias licèt ingentes in interiorem Sequanorum agrum ingredi paſſum. Bouillus in ſuo de vulgarium linguarum differentiâ libello, oppidum illud nihilo melius *Maſieres* interpretatur, vt & alius quidam Anonymus *Maeſtrich* ad Moſam. Vigenereus in notis ad Cæſarem ſuum Gallicum leuiſſimè coniicit eſſe *Montbeliard*. Doctiſſimus Cluuerius antiq. Germ. lib. 2. c. 8. interius fuiſſe quàm vtì ad Germaniam vel olim pertinuerit, vel nunc pertineat, audacter, & verè affirmat: nos enim ſitum eius feliciter inuenimus in ipſo agri Sequanici limine, versùs Æduos, ad Araris ripam, vbi *Lignonem* fluuium ſuo ſinu excipit, non procul à *Ponte Gallorum*, corruptè *Pontallie*, vbi pagus *Broye*, iuxta quem collis planus, ampliſſimus, aptiſſimus prælio viſitur, lateribus, & humanis oſſibus ſcatens; quo loci antiquitus vrbem fuiſſe conſtans eſt incolarum traditio, qui ſpatium illud adhuc hodie, antiquo Magetobriæ nomine tantillum immutato, vocant *la moigte de broye*: quod etſi plenè non aduerterit Sanjulianus, refert tamen antiq. Burgund. lib. 1. c. 4. Pontallienſes affirmare, *iuxtà ipſos amplam, & ſpatioſam vrbem olim fuiſſe, cuius nihil ſuperſit, præter memoriã à Patribus in filios tranſmiſſam.* In prædicto colle via quædam eſt, (*ferratam* ru-

S 2 ſtici

ſtici cognominãt, Gallicè *le chemin ferré)* pauimento veteri ſtrata, iuxtà quam eminentiori quodam loco rudera ſuperſunt, quæ *Caſtri Magetobriæ* antiquiſſimi reliquias eſſe ruſtici iactant: adde quòd vltra pontẽ Araris proximum, ad oppidum *Pontallie,* locus eſt, quem *Monthardou,* quaſi *montem Harudum* nominant, in quo, & in vitiferis collibus vicini pagi *Dampmartin,* prope *Peſmam*, veterum ædificiorum ruinæ, & antiqua numiſmata ſæpius effodiuntur, quæ omnia magnam tractus illius arguunt antiquitatem. Non longè ab his abeſt pagus, *les Varennes* vulgò cognominatus, qui tamen in antiquâ Beneficiorum Diœceſeos Biſontinæ notitiâ, Gallicè dicitur *Viel-verge*, Latinè *veteres virgæ*; fortè quòd ibi veteres Galli ponte Araris tranſacto cæſi, & mille opprobriis, contumeliiſque per Ariouiſtum Regem affecti ſint, quod ſuâ oratione videtur Diuitiacus innuiſſe. Sed, vt ad rem noſtram reuertamur, inimicitias illas Sequanorum, & Æduorum conſultò alebant Romani, vt arte aliquâ in Galliam aditum ſibi patefacerent; nec vlla poterat eſſe accommodatior eâ, quæ eſſet ſub auxilij ferendi ſpecie, quâ Cæſar vſus eſt, cùm Æduis opem ferens contra Sequanos, & Ariouiſtum Germanorum Regem (licèt *amicum* à Senatu appellatum) priuſquam eum è Galliæ finibus expelleret, Veſontionem occupauit. Dio Rom. hiſt. lib. 38. ὥστε τὸν καίσαρα λόγοις μὲν μηκέτ' αὐτῷ ἀντιπέμψαι. τὴν δὲ δὴ Οὐεσοντίωνα τὴν τῶν σηκουανῶν πόλιν εὐθὺς καὶ περὶ αἰ-σθηθήσεσθαί ἵνα προκατασχεῖν: *Cæſar per legatos minimè reſpondit,*

ſpondit, ſed extemplò Veſontionem Sequanorum vrbem, priuſquam id quiſquam ſentiret, occupauit. Cæſar lib.cit. *Cùm tridui viam Cæſar proceſſiſſet, nuntiatum eſt ei Ariouiſtum cum ſuis copiis ad occupandum Veſontionem, quod eſt oppidum maximum Sequanorum, contendere, triduíque viam à ſuis finibus proceſſiſſe; Id ne accideret magnopere præcauendum ſibi Cæſar exiſtimabat; namque omnium rerum, quæ ad bellum vſui erant, ſumma erat in eo oppido facultas; Idque natura loci ſic muniebatur, vt magnam ad ducendum bellum daret facultatem, propterea quòd flumen Alduadubis, vt circino circumductum pene totum oppidum cingit: reliquum ſpatium, quod non eſt amplius pedum ſexcentorum, quà flumen intermitttit, mons continet magnâ altitudine, ita vt radices eius montis ex vtraque parte ripæ fluminis contingant; hunc murus circumdatus arcem efficit, & cum oppido coniungit. Huc Cæſar magnis diurnis, nocturniſque itineribus contendit, occupatóque oppido, ibi præſidium collocat: dum paucos dies apud Veſontionem rei frumentariæ, commeatúſque cauſa moratur, &c.* Pergit enarrare Cæſar trepidationem militum ſuorum in caſtris, quam eleganti oratione in Campo Martio Biſontino habitâ ſedauit: dein quomodo poſt varia cum Ariouiſto colloquia, copias eius vnico prælio fuderit, quod B. Rhenanus rer. German. lib.1. malè factum exiſtimat ad D. Apollinaris, *qui locus*, inquit, *milliario tantùm Germanico à Rheno & Baſileâ diſtat*: malè inquam; *omnes enim hoſtes*, ait Cæſar, *terga verterunt, neque priùs fugere deſtiterunt, quàm ad flumen Rhenum millia paſſuum ex eo loco circiter quin-*

que peruenerunt. Rectiùs multò inſignis noſtri ſæculi Geographus Philippus Cluuerius antiquæ German. lib.2.c.8.locum illius prælij Veſontioni propinquiorem facit: *Vicus eſt hodie*, inquit, *in Burgundiæ Comitatu vulgari vocabulo* Dampierre, *quinque millibus paſſuum infra oppidum* Montbeliard, *ſitus ad confluentem Dubis, & Allij amnis in Rauracorum confinio ex monte Vogeſo profluentis, qui locus egregiè omnibus partibus in prælium illud Arioviſticum conuenit; huc quippe directum iter agebatur Ariouiſto Veſontionem contendenti: huc rectè Cæſar ab aliâ parte, Veſontione nimirum ſex dierum itinere peruenit, ſeptem millibus paſſuum pro more ſuo in ſingulos dies contributis.*

Fuſis Ariouiſti copiis Cæſar exercitum ſuum in Sequanis ad hybernandum reliquit, hyberníſque *Labienum* præpoſuit; ipſe verò in Galliam citeriorem profectus eſt:ſed priùs nonnullas ad Sequanicæ prouinciæ tutelam creditur conſtituiſſe Colonias, *Olinonem* aduersùs Germanos, & *Iuniam* aduersùs Heluetios, non ſic ab ipſo Cæſare nominatam, quicquid proferat Goluſius lib. 2. cap. 11. nam *Colonia Iunia* à Iulio rectè dici non potuit, qui ex familiâ Iuliâ erat oriundus,ſed fortè quòd aliquem illi præfecerit Iunium, ex Iuniorum familiâ, quorum multos denarios dedit Fuluius Vrſinus lib. de familiis Romanorum, in *Iuniâ*.

PAGI

PAGI SEQVANORVM vaſtati Tiberio imperante: Inſignis Virginij Ruffi apud Veſontionem de Vindice victoria.

CAPVT XXXVI.

MAXIMAM Sequanorum pagi Tiberio imperante paſſi ſunt cladem, ortâ ſeditione in Galliis, ducibus Iulio Floro inter Treueros, & Iulio Sacrouiro apud Æduos: *tunc enim Silius cum legionibus duabus incedens* (verba ſunt Taciti 3. Annal.) *præmiſſâ auxiliari manu, vaſtat Sequanorum pagos, qui finium extremi, & Aeduis contermini, ſociique in armis erant;* quos (eodem teſte 1. annal.) Germanicus dum per Gallias cenſus acciperet, in Tiberij verba adegerat, cùm ad inferiorum Germanorum nouum tumultum ſedandum proficiſceretur.

Nerone poſteà Romæ Imperium obtinente, poſt multa contra parentes, præceptores, Senatum, Vrbem crudeliter, & inſanè geſta, Galbæ adhærentes omnes à Principe Tyranno defecerunt: Virginius Ruffus, equeſtri Inſubrorum familiâ ortus, qui Germanorum præerat legionibus, venit in Gallias, & Veſontionem Galbæ partes ſequentem obſedit. C. Iulius

Iulius Vindex natione Gallus, qui vnà cum militibus ſuis à Nerone quoque defecerat, ad Vrbis accurrens auxilium, ſuo exercitu à militibus Ruffi fuſo, ſibi ipſi violentas manus attulit. Rem totam, vt acta eſt, ſic enarrat Xiphilinus ex Dione in Nerone: Οὐχ ἑαυτῷ δὲ τὴν ἀρχὴν πράττων ὁ Βίνδιξ, τὸν Γάλβαν τὸν Σερούιον τὸν Συλπίκιον, ἐπιεικείᾳ τε καὶ ἐμπειρίᾳ πολέμων διαπρέποντα, καὶ τῆς Ἰβηρίας ἄρχοντα, δύναμίν τε οὐ μικρὰν ἔχοντα, εἰς τὴν ἡγεμονίαν προεχειρίσατο· κἀκεῖνος ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν αὐτοκράτωρ ἀνηγορεύθη· λέγεται δὲ ὅτι τοῦ Νέρωνος διακοσίας καὶ πεντήκοντα μυριάδας ἐπικηρύξαντος τῷ Βίνδικα ἀποκτείναντι, ἀκούσας ὁ Βίνδιξ ἔφη ὅτι ὁ Νέρωνα ἀποκτείνας, τήν τε κεφαλὴν αὐτοῦ κομίσας ἐμοὶ, τὴν ἐμὴν ἀντιλήψεται· τοιοῦτος μέν τις ὁ Βίνδιξ ἐγένετο. Ῥοῦφος δὲ ἄρχων τῆς Γερμανίας ὥρμησε μὲν ὡς καὶ τῷ Βίνδικι πολεμήσων, γενόμενος δὲ ἐν Βεσοντίωνι, ταύτην ἐπολιόρκει πρόφασιν ὅτι μὴ ἐδέξατο αὐτόν. Τοῦ δὲ Βίνδικος πρὸς βοήθειαν τῆς πόλεως ἀντεπιόντος αὐτῷ, καὶ οὐ πόρρω στρατοπεδευσαμένου, ἀντεπέστειλαν μὲν ἀλλήλοις τινὰ, καὶ τέλος καὶ ἐς λόγους ἦλθον μόνοι, καὶ μηδενὸς σφίσι τῶν ἄλλων παρόντος, καὶ κατὰ τοῦ Νέρωνος, ὡς εἰκάζετο, συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους. Μετὰ δὲ τοῦτο ὁ Βίνδιξ ὥρμησε μετὰ τοῦ στρατοῦ, ὡς τὴν πόλιν καταληψόμενος· καὶ αὐτοῦ τοῦ Ῥούφου στρατιῶται προσιόντας αἰσθόμενοι, καὶ νομίσαντες ἑαυτοῖς ἀντικρὺς χωρεῖν, ἀντεξώρμησαν αὐτοκέλευστοι· καὶ προσπεσόντες ἀπροσδοκήτοις δὲ καὶ ἀσυντάκτοις οὖσι, παμπόλλους κατέκοψαν. Ἰδὼν δὲ τοῦτο ὲ περιαλγήσας ὁ Βίνδιξ, αὐτὸς ἑαυτὸν ἔσφαξε. Καὶ τὸ μὲν ἀληθὲς οὕτως ἔχει. πολλοὶ δὲ δὴ μετὰ ταῦτα τὸ σῶμα αὐτοῦ κατατρώσαντες, δόξαν τισὶ μάτην, ὡς καὶ αὐτοὶ ἀπεκτονότες αὐτὸν, παρέσχον. Ῥοῦφος δὲ τοῦτον μὲν ἰσχυρῶς ἐπένθησε, τὴν δὲ αὐτοκρά-

τορα

τὴν ἀρχὴν, καίτοι τῶν στρατιωτῶν πολλάκις αὐτῷ ἐγκειμένων, οὐκ ἠθέλησε δέξασθαι, δυνηθεὶς ἂν ῥᾳδίως ἐπιτυχεῖν αὐτῆς· δραστήριός τε γὰρ ἀνὴρ ἦν, καὶ ἰσχὺν μεγάλην καὶ πρόθυμον εἶχε. καὶ οἱ στρατιῶται τὰς μὲν τοῦ Νέρωνος εἰκόνας καθεῖλον καὶ συνέτριψαν. αὐτὸν δὲ, Καίσαρα καὶ Αὔγουστον ὠνόμαζον, ὡς δ' οὐκ ἐπείθετο, ἐνταῦθα τῶν στρατιωτῶν τις ἑνὶ τῶν σημείων αὐτοῦ ταῦτα διαταχέων ἐπέγραψε. καὶ ὃς ἐκεῖνα τε ἀπήλειψε, καὶ μόλις ποτὲ αὐτοὺς καταστήσας ἔπεισεν ἐπὶ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ ποιήσασθαι. εἴτ' οὖν ὅτι οὐκ ἠξίου τοὺς στρατιώτας τινὶ τῶ κράτος διδόναι (τῇ τε γὰρ γερουσίᾳ καὶ τῷ δήμῳ προσήκειν τοῦτ' ἔλεγε.) εἴτε καὶ παντελῶς μεγαλογνωμῶν, ὡς οὐδὲν τῆς αὐτοκρατορικῆς ἀρχῆς, ὑπὲρ ἧς καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ἔπραττον, καὶ αὐτὸς διόμενος: *Vindex cum principatum minimè ſibi parare ſtuderet, Sergio Sulpicio Galbæ (is iuſtitiâ omnibus præſtabat, ac gloriâ bellicæ virtutis, præerátque Hiſpaniis; & magnas copias habebat) imperium detulit, idémque Galba ab exercitu Imperator deſignatus eſt. Ferunt eo tempore Neronem per præconem conſtituiſſe centies ſeſtertiûm ei, qui Vindicem occidiſſet; atque eo cognito Vindicem ita dixiſſe; qui Neronem interfecerit, & ad me caput eius attulerit, is meum accipiet caput in mercedis loco. Cúmque Vindex eo animo eſſet, Ruffus qui Germaniam obtinebat inde profectus eſt, vt Vindici bellum inferret, is poſtquam Veſontionem venit, cœpit eam vrbem obſidere, quòd ab eâ non fuiſſet exceptus: Vindex ad opem vrbi ferendam contendit, nec procul caſtra poſuit: Tandem ambo miſſis ad ſe literis in colloquium venerunt, remotis arbitris. Ibi ſuſpicio fuit eos vnâ contrà Neronem coniuraſſe. Poſt hæc Vindex properat cum exercitu, quaſi ſtatuiſſet vrbem capere, quorum aduentum vbi cognoſcunt*

milites Ruſſi, rati eos apertè contra ſe venire, iniuſſi impetum faciunt, imparatoſque, & parum inſtructos inuadunt, ac poſtremò magnum numerum eorum concidunt; Quod cùm Vindex videret, ferrétque grauiter, ipſe ſibi manus attulit; Id enim verum eſſe conſtat, quamuis multi illatis mortuo vulneribus falſam opinionem iniecerint, eum ab ſe interfectum fuiſſe. Ruffus caſum eius acerbè luxit, & principatum, quem facilè poterat adipiſci, deferentibus ſæpenumerò militibus, atque vrgentibus, repudiauit. Vir erat in rebus gerendis acer, & induſtrius, in conficiendis fortis, promptúſque. Itaque milites ſtatuis Neronis diſſipatis, & comminutis cœperunt illum Auguſtum, & Cæſarem nominare; Cumque perſuaderi non poſſet, quidam ex militibus vni ex ſignis eius idem inſcripſit ſubitò, idque Ruffus poſteà deleuit, ac vix tandem ſedatis militibus perſuadebat, vt auctoritatem Senatui Populoque Romano reſtituerent, ſiue quod indignum putaret, Imperium cuiquam à militibus deferri (id enim ad Senatum Populúmque pertinere) ſiuè quod vir forti, & excelſo animo, principatum, cuius causâ cæteri omnia facerent, ipſe deſpiceret. Huius certaminis, (quod contigit anno Vrbis conditæ 819. Chriſti 67.) meminit Iuuenal. Saty. 8. —*Quid enim Virginius armis*

Debuit vlciſci magis, aut cum Vindice Galba.

Poſtmodum Virginius Ruffus *tutus*, (vt dicit Tacitus,) *quòd Imperium recuſaſſet*, in ſecuram vitam, & ſenectam pacis, & quietis plenam ſe ſubduxit; Rhetoricæ libros (quorum meminit Fabius libr. 3. Inſtit.) reliquit; Eloquentiâ enim clarum fuiſſe conſtat, quem in coniuratione Piſonianâ ſcribit Tacitus

Tacitus 15. Annal. ſtudia iuuenum eloquentiâ fouiſſe: Primum Conſulatum cum Memmio Regulo, ſecundum cum Pompeio Vopiſco (eodem hiſtorico teſte) geſſit; Galbæ, Othoni, Vitellio, Veſpaſiano, Tito, & Domitiano Cæſaribus ſuperuixit; tertium cum Neruâ Conſulatū eſt adeptus, ex Frōtino de Aquæductibus, & Xiphilino ex Dione in Nerua: Τὸν δὲ Ῥοῦφον τὸν Οὐεργίνιον καίπερ πολλάκις αὐτοκράτορα ὀνομασθέντα, οὐκ ὤκνησεν ὑπατεύσας συνάρχοντα προσλαβεῖν; ἐφ᾽ οὗ τῷ μνήματι τελευτήσαντος ἐπιγέγραπται, ὅτι νικήσας Βίνδικα τὸ κράτος οὐχ ἑαυτῷ, ἀλλὰ τῇ πατρίδι περιεποιήσατο: *Virginium Ruffum, qui ſæpe Imperator appellatus fuerat, non eſt grauatus collegam in Conſulatu aſſumere, in cuius mortui ſepulchro inſcriptum fuit, eum, ſuperato Vindice, nequaquam ſibi Imperium aſſeruiſſe, ſed patriæ.* Inſcriptionem illam vnico diſticho comprehenſam recitat Plinius libr. 6. Epiſt. ad Albinum:

Hic ſitus eſt Ruffus, pulſo qui Vindice quondam
Imperium aſſeruit non ſibi, ſed Patriæ.

Eandem prorſus Epigrapham refert idem Plinius 9. epiſt. ad Ruffonem, & multa præclara de Virginio Ruffo, & publico eius funere lib. 2. epiſt. ad Voconium Romanum.

VESONTIONIS ET SEquanorum ſub Othone, Vitellio, & Veſpaſiano Imppp. variæ clades.

CAPVT XXXVII.

NOVAM Sequanorũ Ciuitates paſſæ ſunt irruptionem ab æmulo Othonis Vitellio. Tacit. hiſtoriarum j: *Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit eaſdem partes ſequuta, ac tum acerrima inſtigatrix aduersùs Galbianos, (hoc enim nomen faſtidito Vindice indiderant.) Igitur Sequanis Aeduiſque, ac deinde prout opulentia Ciuitatibus erat infenſi, expugnationes vrbium, populationes agrorum, raptus Penatium hauſerunt animo, ſecundum arrogantiam, & auaritiam, præcipua validiorum vitia.*

Sed ſi vnquam fides enituit Biſontina, tum maximè, cùm ſub Veſpaſiano Galliæ omnes defecere, Iuliúmquè Sabinum Lingonem, qui ſe Iulio Cæſare prognatum iactabat, Cæſarem nominarunt, à noſtris vnà cum ſuis Lingonibus poſtea fuſum. Tacitus hiſtoriar. 4: *Intereà Iulius Sabinus proiectis fœderis Romani monumentis, Cæſarem ſe ſalutari iubet, magnámque, & inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, ciuitatem conterminam, & nobis fidam: Nec Sequani detrectauère certamen, fortuna melioribus affuit; fuſi Lingones: Sabinus feſtinatum temerè prælium, pari formidine*

formidine deſeruit, vtque famam ſui exitij faceret, villam in quam profugerat, cremauit, illic voluntariâ morte interiiſſe creditus: Sed quibus artibus, latebriſque vitam per nouem mox annos traduxerit, ſimul amicorum eius conſtantiam, & inſigne Epponinæ vxoris exemplum ſuo loco reddemus: Sequanorum proſperâ acie belli impetus ſtetit.

Sabinj illius Xiphilinus ex Dione meminit in Veſpaſiano, & Plutarchus in fine Erotici, vbi Sabini vxorem *Epponinam*, cùm mariti ſui mortem ſimularet, & nihilominus ſæpius cum ipſo, in ſpecu, in quâ delitefcebat, verſaretur, vterum gerentem, ventris onus celaſſe dicit medicamento quodam, quo mulieres comam inunctam & inſtar auri rutilam, & fuluam efficiebant, quod (inquit Plutarchus) ἔχει λίπασμα σαρκοποιὸν ἢ χαυνωτικὸν σαρκὸς ὥστε οἷον διάχυσίν τινα ἢ διόγκωσιν ἐμποιεῖν· ἀφθόνῳ δὴ χρωμένη τούτῳ πρὸς τὰ λοιπὰ μέρη τοῦ σώματος, αἰρόμενον καὶ ἀναπιμπλάμενον ἀπέκρυπτε τὸν τῆς γαστρὸς ὄγκον: *pinguedinem habet, quâ caro ſiuè fit grandior, ſiuè rareſcit, & quaſi diffunditur, maiorque fit eius moles: hoc (*ait*) medicamento in cæteris membris vſa affatim, attollens ſe & turgidum celauit ventris onus.*

Quodnam fuerit illud pharmacum inquirit Mercurialis variar. lect. lib. 4. cap. 13. ſtatuítque ex eorum genere fuiſſe, quæ magnâ caloris vi, aut humores ex imo ad ſummum trahendo, aut ex ipſis diffuſis flatus gignendo, cutem, & omnem corporis extimam partem in maiorem molem attollunt, qualia ſunt rubificantia, & veſicas inducentia, calx

ſcilicet, auripigmentum, thapſia, ſulphur, & alia, quæ veteres excolendis capillis adhibuiſſe notant Galenus, & Oribaſius. Sed pace tanti viri dixerim, non hîc quæritur de capillis, ſed de corpore augendo, per illud Plutarchi λίπασμα σαρκοποιὸν, quod (ſaluâ meliori ſententiâ) ex reſinâ therebintinâ factum fuiſſe exiſtimo, quæ paratu facilis, & partui minimè noxia, quamque euocare, & educere dicit Cornel. Celſus lib. 5. cap. 12. & apertè Plinius lib. 24. cap. 6. *Therebintina illinitur, & eadem calida membrorum doloribus, ſpaſticiſque in ſole: euellitur & totis corporibus, mangonum maximè curâ ad gracilitatem emendandam, ſpatiis ita laxantium cutem per ſingula membra, capacioráque ciborum facienda corpora.*

ANTONINI AVGVSTI DE Veſontione teſtimonium: quid illi Epamanduodurum: An ibi celebratum Concilium Epaunenſe.

CAPVT XXXVIII.

EKEITE ἡ Ῥώμη (inquit Herodianus lib. 1.) ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς: *Roma illic eſt, vbi Imperator eſt.* Enimverò Roma eſt hoc quoque nomine Veſontio, in quâ Cæſares quamplurimos egiſſe, antiquorum ſcripta, & quæ inibi effodiuntur numiſmata, ſatis probant. Nullorum

rum plura reperio, quàm Antoninorum; fortè quòd diu, felicitérque imperarint; non abnuo: Sed plenè adducor, vt credam eos Veſontione fuiſſe, primùm ex eo, quòd ab Italiâ in Gallias, per Alpes Graias, rectum iter Romanorum fuit per Veſontionem: deinde quia à Galliâ Prouinciâ, per Lugdunum, Veſontionémque ad Rhenum vſque, ſuis poſteris viam glareâ, & minutis ſilicibus diſtinctam ſterni curauit M. Vipſanius Agrippa: denique propter deprompta ex libris, lapidibúſque antiquis monumenta.

Antoninus Pius Auguſtus in ſuo libello (ſi tamen ſuo) quo peragratas recenſuit prouincias, bis Veſontionem notat, ſcilicet *A Mediolano per Alpes Graias Argentoratum*, ſic:

Ticinum.	*M.P. XXII.*	Italia.
Laumellum.	*M.P. XXII.*	
Vercellas.	*M.P. XXV.*	
Eboredia.	*M.P. XXXIII.*	
Vitricum.	*M.P. XXI.*	
Auguſta Prætoria.	*M.P. XXV.*	
Arebrigum	*M.P. XXV.*	
Bergintrum	*M.P. XXIII.*	Alpes Graiæ.
Tarantaſia	*M.P. XVIII.*	
Caſuaria	*M.P. XXIV.*	
Bautas	*M.P. XVII.*	Maxima Sequanor.
Equeſtribus	*M.P. XVI.*	
Lacu Lauſanio	*M.P. XXIV.*	
Vrba	*M.P. XVIII.*	
Ariarica	*M.P. XXIV.*	

Viſontio


	Viſontione	*M.P. XVI.*
Item:	*Ab Antemantunno Cambatem*	*M.P. CII.*
	Varcia	*M.P. XVI.*
	Veſontione	*M.P. XXIV.*
	Epamanduoduro	*M.P. XXXI.*
	Cambate	*M.P. XXXI.*

Epamanduodurum, cuius hîc meminit Antoninus, nunc in pagum redactum eſt, ſitum ſuper fluuium Dubim, non procul à *Caſtro Montiſbelicardi*, vulgóque nuncupatur *Mandeurre*, cuius ſupremus Dominus eſt Archiepiſcopus Biſontinus S. R. I. Princeps. Loci antiquitatem probant vaſtiſſima rudera, vetuſtæq; ſubſtructiones; marmorea, & latericia pauimenta; infinita propè numiſmata Celtica, & Romana; gemmæ, ſigilla, & id genus demiſſarum orco victimarum εἰκόνες; tubi plumbei, & teſtacei, deriuãdis opinor ad vſum Balneorum per tranſuerſos parietes aquis accommodati, & aliæ multæ ſecundum inſaniam æui voluptuariæ impenſæ: Priſca item locorum adiacentium nomina, qualia Romæ, & Veſontione; vt Campi Dianæ, *Champ-Danot*; Collis Liberi, ſiue Bacchi, *Coſte-Libè*; Fori Mercurij, *Formecur*, &c. Votiuus præterea Deo Caſtori Lapis, cuius altitudo, ni fallor, eſt duorum pedum, & ſemis; latitudo vnius cum dimidio: Aram in quâ Deo Caſtori fieret ſuſpicantur nonnulli, proſtat in medio templo cum hac inſcriptione:

CASTOR

CASTOR.
SACR.
TI. IVL.
SANCT.
FILIVS
CELSVS
VOTO.

D. Claud. Peleterius Parochus Epamanduodurenſis æneam patellam (cum gemmis affabrè ſculptis, & nummis aliquot antiquis) nuper ad me miſit Epamanduoduri repertam, quam Romanæ ſupellectilis inſtrumentum fuiſſe, impreſſum manubrio nomen indicat NARCISSI: hanc ſtudioſis antiquitatis lubens exhibeo;



quippè quâ pultem Romani veteres olim parabant antiquiſſimum, & vſitatiſſimum cibum, longóque tempore loco panis vſurpatum, teſte Plinio lib.18, cap. 8.

Apud Epamanduodurum verò celebratum quidam volunt ſub Sigiſmundo Rege Burgundiæ anno 509. & rurſus anno 546. (vt part. 2. in Vrbico docebimus) *Concilium* quod conſtanter in manuſcriptis omnibus & cuſis codicibus vocatur *Epaunenſe, Epaonenſe*, vel *Eponenſe*; breuiato, vt aiunt, nomine pro *Epamanduodurenſe*; quod alij locorum, nominum, aut characterum affinitate decepti, apud *Apamiam, Belnam, Tarentaſiam*, aut *Agaunum*; ſpecioſis ſanè, ſed inutilibus omnes coniecturis: verus enim illius Concilij locus intra regni veteris Burgundici fines, ſimpliciter *Epona* vel *Eponum* antiquitus dictus fuit, nunc vt *Auenticum, Magetobria, & Augusta Rauracorum*, prorſus deletus: non quidem per Attilam, cum ſæculo quinto rabiem ſuam in Galliis exſeruerit; & Eponi nondum diruti ſexto ſæculo certa extent monumenta, Concilia duo celebrata: ſed fortè per Saxones, qui octauo ſæculo Gallicas pleráſque vrbes malè habuerunt. Quâ verò Regni Burgundici plagâ conſtitutum olim illud Eponum? ſedulò exquirentibus nondum occurrit, à Regiâ Burgundionum Arelate, ad Heluetios vſque; nec ſperamus poſſe facilè deſignari, ni fortè occurrat in Antiquâ Notitiâ beneficiorum Diœceſeos Lauſanenſis, non procul ab Agauno, vel potius à Salodoro, vbi vetus lapis in viâ ſcholaſtica ad parietem priuatæ domus *Deæ Eponæ* poſitus, cum hac inſcriptione.

DEAE

DEAE, EPONAE. M. OPILIVS RESTIO
MILES. LEG XXII. ANTONINIANÆ,
P. P. F. IMMVNIS. COS. CVRA SALENS.
VICO. SALODOR. DD. XXII. KAL.
SEPTEMBR. D. N. ANTONINO. AVG.
II. ET SACERDOTE. II. COS. V. S. L. M.

Lapis alius, *in Carinthiâ, Valle Lauentinâ:* ex Apiano.

HERCVLI. ET. EPONAE.
AVG.
PRO. SALVTE. IMP. CAES.
M. AVR. ANTONINI.
PII. FELICIS
INVICTI.

Tertius, *In Arce Pinoberg propè Danubium:* item ex Apiano.

CAMPES. ET. EPONAE
ALA. IST. N. G. HPCR. QVI. ET
AEL. BASSIANVS. PRAEF.
V. S. L. L. M.

Deam hanc haud dubiè ſibi finxerant *Eponenſes*, vt eorum finitimi Auenticenſes, *Auentiam*, cui lapis repertus Auentici, propè Friburgum Heluetiorum.

116. 2. DEAE AVENTIAE
ET. GEN. INCOLAR.
T. IANVARIVS
FLORIANVS
ET. L. DOMITIVS
DIDYMVS
CVRATORES. COL.
EX. STIPE. ANNVA
ADIECTIS. DE. SVO
HS. N̄. Ī. D.

Sic apud Tacitum, & Liuium, *Romam Deam*, ſibi conſecrarunt *Romani*; apud Ciceronem 3 de Nat. Deor. *Alabandum Deum Alabandij*, & *Tenedij Tenem*: *Nemauſenſes* quoque *Nemauſum Deum*. Vetus lapis Nemauſi.

1074. 9. DEO NEMAVSO
MARIVS PATER
NVS
V. S. L. M.

ANTO

ANTONINO PHILOSOPHO, & L. Vero Imperatoribus poſitum à Veſontinis illuſtre Monumentum.

CAPVT XXXIX.

ANTONINO Pio ſucceſſit *Antoninus* cognomento *Philoſophus* (quem ille ſibi adóptarat) & propinquum ſuum *Lucium Aurelium Verum* ad Imperij partem nouo beneuolentiæ genere adſciuit. Vtrique Ciues Veſontini (cùm ob expeditionem Germanicam apud eos ageret M. Aurelius, *poſt res in Sequanis turbatas, cenſurâ, & autoritate repreſſas*, vt ait Iulius Capitolinus) titulum hunc in Columnâ lapideâ, etiam nunc Veſontij extante, poſuerunt:

IMP. CAES. AVG. 158. 4.
M. AVR. ANTONI
NO. ET. L. AVR. VERO
CIVES. VE.

Columnæ illi vas lapideum vaſtum ſuppoſitum erat, quod iuxta columnam ſeruatur in D. Magdalenæ Capitulo, eodem quo erutum fuit loco; ex quo cenotaphium fuiſſe potius quàm ſimplex monumentum facilè colligas. Hanc eamdem Epigra-

pham retulit *Gruterus* in inſcript. antiq. totius orbis, è *Rouſſati* ſchedis, qui eam acceperat à *Ioanne Chiffletio* patre meo, tunc, dum effoſſa fuit columna illa, Gubernatore Ciuitatis, Duumviro in Tribu Charitomontanâ.

CVINAM IMPERATORVM poſitus Veſontione arcus Triumphalis, quem portam nigram vulgò vocant.

CAPVT XL.

QVONIAM in celebrioribus apud nos Antiquitatis monumentis, arcus ille eſt, qui ad Cœlij noſtri radicem *Porta Nigra* vulgò dicitur, & triumphi Romani præ ſe fert imaginem, altus pedes Mathematicos plus
A minus 42: hîc illius expreſſam typis figuram antiquam proponere lectori, partéſque ſingulas ex hiſtoriæ veritate, rationũ momentis diſcutere operæpretium duxi, vt facilius in eo certis capitibus ordine quodam progrediatur inſtituta narratio. Quæram igitur primò, cuinam Imperatorum Romanorum, Iulióne Cæſari, an deſertori Iuliano, vel Aureliano, aut Virginio Ruffo, an alteri cuipiam operoſa illa moles excitata ſit. Illi ſiquidem dicuntur Gallias adiiſſe, & verò etiam Veſontionem, eáque ibi

ibi geſſiſſe, quæ illo aut ſimili monimento commendanda videantur. Tum quæ conuincant rationes, Aureliano potius, quàm aliorum vni id honoris, & gloriæ delatum. Denique quæ Biſontinos cauſæ impulerint, vt cæteras inter Celtarum Ciuitates potius quàm Ædui vel Bellouaci arcum illum ſtupendæ molis excitarint.

Vt autem quæ primo loco expendenda propoſui, leuius attingantur (nec enim me patitur inſtituti mei ratio diutius in iis immorari) Iulio Cæſari triumphatori Galliarum, opus id poſitum exiſtimat *D. Dionyſius Fagius* I. C. Veſontinus, Captiuos illos in ſummo arcu expreſſos, ac deſinentes in ſerpentum volumina, eos eſſe autumans, quos Cæſar in Commentariis proceros, & vaſti corporis Germanos commemorat, quia ſic Gigantes è terrâ geniti antiquitus pingebantur. Ingenioſa ſanè, ſed nimis ſuccincta tam latebroſi ænigmatis, nodis pleriſque Gordiis implicati ſolutio: Nec enim ex Cæſaris, ſiue apud Gallos, ſiue apud Biſontinos ſolos præclarè geſtis expediat quis, ne ſi vel ille Oedipus ſit, Sphynges quæ vbique in arcu ſuper effictis imaginibus occurrunt. Fuit Veſontione Cæſar, commendat eius ſitum, & circuitum, quæ Dubis alueo, quaſi circino alluitur, ſed non ideo probat arcum ſibi in editiori loco Ciuitatis fuiſſe excitatum. Adde quòd victoribus ante Titum decretæ ſunt ſtatuæ triumphales, nulli fornices, niſi lateritij, & cum minimo triumphi apparatu.

Legi

Legitur apud Marcellinum multa in Germanos fœliciter bella confeciſſe Iulianus, & cùm Remis præſtolaretur exercitum, tandem coactis in vnum copiis Chryſopoli ; inde per Gallias in Italiam perrexiſſe: verùm de extructo illi arcu ne verbum quidem.

Celebris eſt, quam ſuprà retuli, Virginij Ruffi apud Veſontionem de Vindice victoria; hinc arcum illi poſitum nonnulli exiſtimarunt de noſtris, & antiquioris hiſtoriæ rebus ſanè benemeriti homines, famáque, & eruditione conſpicui, è quorum numero *Claudius Chiffletius*: Sed triumphus vix aliis, quàm Imperatoribus; nec pro reſtituto tantùm, ſed etiam amplificato Imperio à Romanis conceſſus eſt, vt notat Sigonius de antiquo iure ciuium Roman. cap. 22. At Ruffus fuſis Vindicis copiis, & Veſontione occupatâ, nihil Romano adiecit Imperio, ob id delatum à militibus principatum repudiauit, aut quia indignum putaret Imperium cuiquam ab illis deferri, aut etiam quòd vir magni animi, culmen Imperij deſpiceret, iuxta Poëtam:

Maius erat potuiſſe, tamen nec velle triumphos:
Maior res magnis abſtinuiſſe fuit.

Cur autem Aureliano poſitum potius arcum credam, quia nec de illo quidquam Romano charactere exciſum in ſaxo reperies, ſciſcitemur.

CVR

CVR AVRELIANO IMperatori poſitus credatur Arcus Biſontinus : Aureliani vita & res geſtæ.

CAPVT, XLI.

INGENVE fateor, Aureliani nomen me nec legiſſe, nec programma reperiri cuius literis in certam notitiam veniamus Imperatoris alicuius, cui ſit nobilis illa erecta moles: tamen quoad licet ex imaginum figurâ, numero & inſignibus, captiuis, & Imperatore trabeato coniicere; auſim ego modis omnibus aſſerere, nulli poſſe meliùs, quàm victori Orientis, & Occidentis Aureliano, ſtructuram, partéſque arcus ſingulas applicari. Nec dubito, quin vltro in meam veniat ſententiam quiſquis Flauium Vopiſcum, Syracuſium perlegerit in D. Aureliano, & Zozimum lib. 1, ſub finem, cuius opera Latinè ex Græco reddidit Lenuclauius; qui vtrique, nec non alij complures, Aureliani vitam, belláque in Palmyrenorum finibus, totóque Oriente, in Galliis, Germaniâ, & reliquo Occidente confecta proſequuntur.

Quintillus Fratri Claudio peſte exſtincto cùm ſucceſſiſſet in Imperatoriâ dignitate, & poſt aliquot menſes delatum à militibus Aureliano imperium

cognouiſſet, mortem vt ſibi conſciſceret, & multò ſe meliori viro ſponte ſuâ cederet, neceſſarij ſuaſerunt. Paruit, & ſectâ per medicum venâ, continuatóque fluxu ſanguinis, extinctus eſt. Ita confirmatis Imperij rebus Aquileiam contendit Aurelianus, multáque fortiter in Pannoniâ gerit: hinc in extremis ad Iſtrum partibus conſertâ pugnâ cum barbaris, vexatam frequenti hoſtium incurſione Italiam liberat: tum variis in Perſide, Illyrico, Thraciâ, Hiberiâ, Germaniâ certaminibus victor, in Palmyrenos expeditionem cogitat aduerſus Zenobiam, quæ Ancyram, Tyanam, Antiochiam, Palmyram vrbes celeberrimas, cum totâ Ægypto occupatas, ſub ditionem ſuam, iugúmque, Timagene armis deiecto traxerat. Cornelius Capitolinus, & Trebellius Pollio Zenobiæ huius, & Odenati coniugis inter triginta Tyrannos meminerunt. Nobiliſſima Orientalium fœminarum, & fortiſſima fuit, aſſueta bellis, obdurata ad labores, iampridem Solem, & puluerem bellis Perſicis experta, Amazonas ſecum ducere ſolita in aciem virili habitu, quarum decem cum Zenobiâ in fugam verſâ Romani interceperunt Romam ducendas in triumpho.

Aureliani exſtat epiſtola ad Mucaporem, in qua de belli cum Zenobia ſuſcepti difficultate citra Imperatoris ſtrenui pudorem multa commemorat: *Romani dicunt bellum contra fœminam Aurelianum gerere; non quaſi fœmina pugnat, vix credi poteſt quantus cum illâ*

illâ belli apparatus, quantùm hîc ſagittarum, quantùm telorum, & lapidum: nulla pars muri, quæ non binis, terníſve baliſtis ſit occupata: hîc deteriore pugno conſcientiâ, quàm ſi vir oppugnandus, & longè fortior hoſtilis acies occurreret, &c. Tum ſub finem Deos ſibi, Romanóque exercitui non defuturos pollicetur. Pertæſus denique tam diuturni belli literas ad Zenobiam dedit, quas hoc exemplo Vopiſcus reddit:

Aurelianus Imperator Romani Orbis, Zenobiæ cæteríſque, quos Societas tenet belli.

Deditionem præcipio impunitate vitæ propoſitâ: ſponte feciſſe debuiſtis, quod hiſce literis nunc iubetur: Gemmæ, ſericum, auri, argentíque quanta vis erit, in ærârium Romanum conferetur: Ius ſuum ſeruabitur Palmyrenis: Illic cum tuis ages Zenobia, vbi ego te ex Senatus ampliſſimi ſententiâ collocauero. His acceptis literis, ſuperbiùs, inſolentiúſque quàm fortuna eius poſceret, ad terrorem credo ſic reſcripſit:

Zenobia Regina Orientis, Aureliano Aug.

Nemo adhuc præter te quod poſcis literis petiit: virtute faciendum eſt quidquid in rebus bellicis eſt agendum. Deditionem meam petis, quaſi neſcias Cleopatram Reginam, quàm ſubdi, perire maluiſſe? Perſarum nobis auxilia non deſunt, pro nobis ſunt Saraceni, pro nobis Armenij, &c. Quibus lectis accenſus Aurelianus collecto ſtatim exercitu, ac Ducibus Palmyram vndi-

que obſedit, auxilia à Perſis miſſa intercepit, ad ſe adduxit Saracenorum copias, fudit Armenios, ac tandem victoriam de muliere potentiſſimâ reportauit.

Victa igitur Zenobia, cùm fugeret Camelis, atque ad Perſas tēderet, miſſis equitibus capta eſt; redactáque in Aureliani poteſtatem. Ingens ſtrepitus militum fuit Zenobiam ad pœnam poſcentium, cui cùm necem inferre minus fortis eſſe animi duxiſſet Imperator, eam triumpho reſeruauit.

Pacato Oriente, in Europam Aurelianus victor rediit, atque illic Carporum copias afflixit; quo Europæis diſtento rebus, cùm Palmyreni victi ſemel, & contuſi rebellaſſent, vt erat expeditus princeps, reuertit ex Europâ, atque vrbem (quæ fuit perfidiæ pœna) funditus euertit. Actum mitiùs cum Tyanæis, quia ſe fidei Imperatoris crediderant. Ægyptum ſtatim recepit, in quo nec defuit illi fœlicitas ſolita.

Tunc Aurelianus, vt erat ferox animi, cogitatione multus, vehementer iratus quòd Tetricus adhuc Gallias obtineret, Occidentem petiit; atque ipſo Tetrico apud Catalaunos exercitum ſuum prodente, quòd eius ſcelera ferre non poſſet, deditas ſibi legiones obtinuit: quin etiam per literas occultas Aurelianum Tetricus, ita deprecatus fuerat, vt inter alia verſu Virgiliano vteretur;

Eripe me his inuicte malis:

quem poſteà Aurelianus correctorem Lucaniæ

proue

prouexit, aſpergens hominem eleganti ioco, *ſublimius habendum regere aliquam Italiæ partem, quàm trans Alpes regnare.*

Princeps igitur Aurelianus totius Orbis, domitis in Occidente Gallis, & Germanis, atque vndique terris circumiacētibus Romam iter flexit, vt de Zenobiâ, & de Tetrico præcipuis totius Orientis, & Occidentis captis hoſtibus, triumphum Romæ coram Patribus, in Orbis theatro exhiberet.

In triumpho currus Regij tres fuerunt: in his vnus Odenati, auro, argento, gemmíſque affabrè diſtinctis collucens: alter, quem Rex Perſarum Aureliano dono dedit: tertius quem ſibi Zenobia compoſuerat, vt in eo Romam veniret, quod eam non fefellit, nam in eo Vrbem ingreſſa eſt, ſed captiua. Sequebantur longo ordine captiui Gentium Barbararū, Blemyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Perſæ, cum ſuis quique muneribus: Gothi præterea, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali religatis manibus proceſſerunt. Multas mulieres captas, quæ virili habitu decertarant, de Amazonum genere titulus indicabat: præferebantur enim tituli, gentium nomina continentes.

Inter hæc, dum currus quatuor adiunctis Ceruis Aurelianum triumphatorem in Capitolium veheret, Tetricus fuit habitu Galbino, braccíſque Gallicis ornatus, adiuncto ſibi filio quem Imperatorem in Galliâ nuncuparat.

Incedebat etiam Zenobia ornata gemmis, & catenis aureis, quas duo vtrimque ſuſtentabant. Coronæ omnium ciuitatum aureæ titulis eminentibus viſebantur: hîc vexilla collegiorum, atque caſtrorum, & cataphractarij milites.

Vix horâ nonâ in Capitolium venit, ſerò autem ad palatium: dati ſunt populo ludi Circenſes, Gladiatores, Naumachiæ: Opes regiæ exercitui, & populo diſtributæ: Leges plurimas ſanxit, & eas ſalutares: his geſtis ad Gallias profectus eſt.

Iſta verba ſunt, aut non abſimilia tum Zozimi libr. 1, & Flauij Vopiſci in Aureliano, tum Trebellij Pollionis in Odenato; ſi quæ ſubiunximus, non immutato ſenſu id factum eſt.

His ergò geſtis ad Gallias profectus eſt Aurelianus, in quibus Tribunatus varios, & Præfecturam geſſerat; *Diuionem* vrbem etiam nunc florentiſſimam (ex Aimoino lib. 2, cap. 24,) aliáſque plurimas Ciuitates condiderat. Mirâ Gallorũ omnium congratulatione exceptus eſt, Biſontinorum maximè, in quorum arce multi Imperatores, Conſules, Proconſules, Præfecti, Tribuni, Præſides, ſibi munitam, tutámque ſedem delegerant, maximè Iulius Cæſar, Iulianus, & alij.

Tunc *Reſtitutor Galliarũ* ſalutatus fuit Aurelianus, & quia Biſontinorũ coluerat amicitiã, auxiliaribus eorũ copiis vſurus in Vindelicorũ liberatione ab incurſione barbaricâ, redeũti ex Italiâ, vt grati animi, & bene affectæ in eũ Ciuitatis præberetur indiciũ,

Arcus

Arcus ad Cœlij montis radices excitatus eſt, ad Romanorũ imitationem, qui in ſuo Cœlio monte fornices poſuerãt, in quo fuit etiã Tetricorum domus.

Arcus noſtri, quæ exſtant reddemus indicia, vt Imperatoriæ Aureliani virtutis, & præcipuorum eius actorum imagines, non quidem leuiter impreſſæ chartis, aut verbis commendatæ, ſed defixæ in duriſſimis ſaxis in omnem conſequentis temporis memoriam perdurent.

ARCVS AVRELIANO POſiti ſingulæ partes explicantur, & eius triumpho aptantur.

CAPVT XLII.

ARCVS & Fornices (Græcis ἅψιδες, ab ἅπτω, *necto*, quia nectuntur è lapidibus iunctis, & arcentur, ſeu continentur ſuſpenſa ſaxa ne proruant: *arcere* enim eſt *continere* Feſto.) per initia fuêre rudes, & ſine impenſiore ornatu, lateritij vt plurimum, vt Bullengerus docet, cuiuſmodi arcus Romuli Romæ: aut ex rudi lapide quadrato, vt Camilli: tamen poſteà nobiliores, & exciſis in ſaxo, & marmore imaginibus extiterunt, vt Septimij Seueri, ad radices Capitolij; Gordiani, in Viminali; Gratiani, & Theodoſij, non longè à via triumphali. Xiphilinus meminit arcus Veſpa-

ſiano

ſiano exſtructi, in quo captiuorum greges, arma, & modi, quibus hoſtes deuicti eſſent exſculpti ſunt.

Exſculpuntur autem variæ rerum imagines, triumphi pompa, ferculorum ordo, cæteráque id genus; vt Romæ in arcu Titi marmoreo inter forum, & Amphiteatrum, Imperator ab alatâ victoriâ coronatur; & in arcu Conſtantini Magni, qui poſitus eſt ad caput viæ Appiæ, bellum in Maxentium exſculptum eſt, victoria, armáque ab hoſtibus reportata: vnde Claudianus lib.3. Stilicon.

Indutóſque arcus ſpoliis.

In ſummo arcu victoris effigies ponebatur, vel captiuos hoſtes vinctos tenens, vnde Iuuenal. Saty.10,


—ſummo triſtis captiuus in arcu.

vel in curru quadrijugo: vnde Prudentius lib. 2 in Symmac.

Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadriiugos, ſtantéſque duces in curribus altis.

Ornabantur autem Arcus, ſtatuis, imaginibus, columnis, ſignis militaribus, clypeis, ex Dione lib. 53. Ex quibus arcus huius Biſontini ſpeciem potes colligere, Romano more Aureliano poſitam: cuius ſiniſtri lateris pars magno publici ſplendoris detrimento, priuatæ domus commodo tegitur: maior pars ad Cœlium montem properanti per plateam Quintiniam ob oculos poſita eſt, vt ex hac figura
B colligis.

1. En clypei, en enſes, quorum capulis ſimilem æneum antiquum habeo (datum prius cap. 25,) effoſſum



Arcus t
olim a B
Veſontio

foſſum in viridarij noſtri ruinis, cum capitibus Leonis, & Anſeris, metus, & audaciæ typis: fortè in rogum coniectus fuerat in antiquo aliquo funere. Virgil. *---Coniiciunt igni galeas, enſeſque decoros.* Et Cæſar lib. 6: *Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica, & ſumptuoſa; omniáque, quæ viuis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt.*

Æs confirmat eius antiquitatem: veterum quippe *arma* omnia *ænea* erant: Ærea arma habuit Goliath, caſſidem, ocreas, & clypeum, *Reg. lib.* 1, *cap.* 17. Alcæus Poëta æreorum enſium meminit apud Athenæum lib. 14, cap. 11. Sed ad ferri vſum poſteà deuenerunt, amiſſo illo æris denſandi modo (vt notarunt Proclus, & Zetſes Heſiodi interpretes) maximâ fabrorum incuriâ.

2. En equi, quibus fugientem Zenobiam intercepit Aurelianus.

3. Hîc vides Ceruorum pedibus ſubiacentem Zenobiam, quibus Aurelianus Capitolium ingreſſus eſt: ſi Camelos mauis, (vix enim propter attrita vetuſtate ſaxa poſſis dignoſcere) quibus Aurelianum fugit Zenobia, non repugno.

4. Zenobia ornata gemmis, & catenis aureis, quas, qui vtrimque comitabantur, ſuſtentabant, Herennianum, & Timolaum filios ex Odenato ſuſceptos manu ſecum victos ducit, paruulos, & impuberes, cùm tamen iam adoleſcẽtes, immò iuuenes eſſent; quò ſcilicet, iunctis hinc indè pueris, Zenobia matris ſpeciem magis referret, vt in Au-

guſtarum nummis piæ, & fœcundæ parentis typus exprimi ſolet.



5. Tetricus in tunicâ Galbinâ, videlicet in ludibrium, ſeminudus ducitur ab armato milite, vinctis poſt tergum manibus, cum filio, quem Cæſarem curauerat ab exercitu ſuo ſalutari: vtriuſque nummis vix vlli ſunt apud nos vulgatiores.

6. Duæ muliebri habitu Matronæ in luctu, vel Ciuitates duas Palmyram, & Tyanam dirutas, vel duas ex captis ſub habitu virili Amazonibus in arcu referunt; ſic enim in Imperatorum nummis, captæ prouinciæ lugentes conſpiciuntur.

7. Victorem in Arcu ſummo trabeatum vides Imperatorem Aurelianum,

Jn tunica Iouis, & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

8. Alatæ duæ Victoriæ, ſcilicet Orientis, & Occidentis, quæ palmas tollunt, ſertum lemniſcatum, lauro, quercu, floribus, fructibúſque contextum Victori ſuperponunt. Tertullianus lib. de corona militis:

militis: *triumphi laurea foliis ſtruitur, hæc adumbratur lemniſcis, & inauratis laminulis*; quod antiquiſſimum triumphi decus, & ornamentum Feſtus vocat. Huiuſmodi victoriarum typos habes in nummis multis, etiam Aureliani ipſius, ſed cum coronis: Pileatam cum lemniſcato ſerto vnicam vidi in L. Veri numiſmate aureo.



9. Vtrimque Apollo ſub Herculis nudi figura: in Herculis enim habitu Sol, vel Apollo pingebatur apud Ægyptios; & duodecim Zodiaci ſigna, per duodecim Herculis labores indicabantur. Si duplicem Herculem mauis, illum ſub *Ogmij* nomine veteres Gallos coluiſſe, author eſt Lucianus in Hercule Gallico; & *Hercules triumphalis* Romæ fuit in foro boario, qui præerat triumphis, quíque dictus eſt *Aureliani conſors* in lapide antiquo.

Piſauri, in Piceno, in Palatio Ducis Vrbini, in Baſi.

HERCVLI
AVG.
CONSORTI
D. N.
AVRELIANI
INVICTI. AVG.
RESPVB. PIS.
CVRA. AGENTE
C. IVLIO PRISCIANO V. C
DVC. CVR. R. P. PIS. ET FAN. PIN.

Nobilis, & Eruditus D. Franc. Iulius Mauboühanus, Veſulanus, Dominus à Montallotâ, Salinarum Sequanicarũ Præfectus, Socer meus humaniſſimus; qui ſupellectilem antiquariá bene curatam à maioribus; & ſibi relictam auget in dies, libris, nummis, gemmis, ſigillis; inter cætera æneum Herculis Gallici ſimulachrum ſeruat Epamanduoduri repertum, cuius hanc mihi copiam fecit.



10. Sparſos obſerua Soles per columnam.

11. Item Solares equos, tum ſubiectos imagini Herculis, tum ſub quatuor columnis.

12. Catenâ vinctam captiuorum in ſerpentes deſinentium turbam Aurelianus tenet: cuius rei cauſam ſi ſcire aues; obſerua ex Vopiſco, & Zoſimo variis in locis, fuiſſe Solis cultui addictiſſimum Au-

relianum, partim quòd matrem habuiſſet, quæ Sacrificula, & Sacerdos Solis diu fuit, partim quòd eius ope propitiâ, ſe crederet ità fœliciter tot bella confeciſſe, totque ſubterfugiſſe pericula: Ideò Romæ Sacerdotium compoſuit, Solíque templum magnificentiſſimum conſtituit, quod donariis Palmyrâ allatis ditauit. Rex Perſarum, quòd in Solis cultum, & religionem benè animatum ſciret, illi pateram obtulit, in quâ Solis erat effigies, ſub quâ in eo templo colebatur, cui Sacerdos mater Aureliani præfuerat. Ipſe etiam Aurelianus in templo Solis pingi voluit, & ita ſolitus erat iurare; *Dij faciant, & Deus certus Sol, & Senatus ſic de me iudicet.* Hinc mater eius (vt Callicrates Tyrius Græcorum longè doctiſſimus ſcriptor tradit,) beneficio Apollinis fatalia ſciuiſſe dicitur, & Imperij auſpicium filio portendi coniecerat, ex vitulo ſibi nato miræ magnitudinis, candido, purpurantibus in latere maculis, quæ coronam cum ſceptro referre videbantur. Adde quòd Sole ſuos nummos ſignari voluit, vt in meo hîc reperto vides.



Soli

Soli autem & Apollini dicatus erat ſerpens apud priſcos, vel quia voluminibus ſuis, & ſpiris, obliquos Solis curſus ſignificat, vel quia *Pythius* Apollo dictus eſt, & *Pythia* ludi celebrati, quorum fuit autor Corœbus Athenienſis, ob interfectum ab Apolline ſerpentem nomine Pythonem, qui ex putredine terræ poſt Deucalionis diluuium procreatus, terrori erat hominibus, vnde Claudianus:

Cæruleus tali proſtratus Apolline Python
Implicuit fractis moritura volumina ſyluis.

& Statius 1. Thebaid.

Te viridis Python, Thebanáque mater ouantem
Horruit.

Quid quòd ſerpẽs inſigne fuit Aſiæ? nummum habeo argenteum Auguſti (cui ſimilem dedit Æneas Vicus) in cuius auersâ parte ſunt duo ſerpentes, in quorum medio baſis, cui ſuperſtat mulieris figura parua, Aſiæ procul dubio typus, vt ex Epigraphâ colligo: ASIA RECEPTA. Vndè ob præclara in Thraciâ, & Græciâ geſta, victámque Aſiam, ſerpentes in Arcu Aureliani frequentes intueris; qui cum Salute Deâ ab antiquis pingebantur, vt in Probi, Hadriani, Antonini, & aliorum nummis, quibus inſcriptum modò SALVS PVBLICA, modo SALVS AVG.

Præterea Apollini quæ putabantur inimica, illi in ſacris cum ſerpente occiſo offerebantur: Aurelianus vt Apollini non diſpar in victoriâ, & triumpho ſuo videretur, in ſerpentes quaſi Pythonis ſpiras

ras captiuos ſuos deſinentes exſculpi in lapideo arcu gauiſus eſt; vel, ſi mauis, in piſcium caudas, vt terrâ, maríque partam victoriam indicarent, vtì de Neptuni equo refert Guil. *du Choul*, lib. de veter. Roman. religione, vbi de Neptuno.

13. Quæ ſub fornice apparent hominum exigua ſimulacra, effigies ſunt præferentium coronas, vexilla, titulos ciuitatum, cæteráque pompæ celebrioris fercula.

Duo ſunt ordines imaginum in inferiori columnâ mediâ: priori facta Aureliani inſignia, ex diſciplinâ militari; poſteriori Deorum aliquot, & Dearum figuræ redduntur, qui Veſontione, ſuperſtitione auitâ culti ſunt.

14. Priori habes in ſuperiori parte liberalitatem Imperatoriam, cuius largitiones, & donaria in milites commendata ſunt, ex Vopiſco: Eccè nummum *Seuerinæ* vxoris Aureliani, in cuius parte auerſâ Imperator ſub radiati Apollinis habitu figuræ militari donarium porrigit.



15. Et

15. Et quia præmio, & mulctâ conſtat omnis benè inſtituta Reſpublica, Centurio cum vite ſceleratis & legum violatoribus minas intentat manu. Tres qui ſequuntur, debitam factis mulctá retulêre.

16. Ancilla & ſeruus, qui adulterium ſimul admiſerant, capitis pœnam exſpectant.

17. Duarum arborum capita iuſſit inflecti Aurelianus, quibus militem alligaret, qui, cum hoſpitis vxore, adulterio ſeſe polluerat, atque ita diro cruciatu, lenta morte extinctus eſt. Fuit enim diſciplinæ militaris tenaciſſimus, & ita terrori militibus, vt ſub eo, poſteaquam ſemel cum ſolitâ ſeueritate caſtrenſia peccata correxit tribus hiſce ſuppliciis, nemo peccarit.

Multas leges ille ſeruandas militibus dedit, vt, *Qui litem fecerit vapulet: In hoſpitiis caſtè ſe agant*, &c.

18. Veſtæ ſimulachrum ſedens in nummis antiquis pingitur, & apud Græcos ἱςία dicitur, παρὰ τὸ ἱςᾶσαι, *ſedem ponere*, ſignificátque reſidentem in templo Veſtæ vim diuinam, quæ perpetuato igne denotatur. Et quia inter Elementa locum altiorem ignis occupat, in ſupremâ regione tandem quieſcit, & quaſi ſedet; Ideò eſt illius ſtatua cæteris in terrâ Diis commorantibus perſæpe eminentior. Ita victor difficultatibus belli ſuperatis, ſpoliis gaudens, & partâ pace quieſcit. Veſta hîc laurum iuxta ſe Virginitatis cuſtodem habet.

19. Venus innixa rupi, Cupidinem à ſe amouens

ſignum eſt virilis animi, quo victor Aurelianus, ſpretâ inſigni Zenobiæ ſpecie, & gratiâ, non ei ſe velut Antonius Cleopatræ, ſed hanc ſibi, Romaníque Imperij faſcibus mancipauit. Non enim ſemper eſt imbellis, ſed generoſa plerumque Venus; non amouetur à Victoriâ, *Victrix* apud Lacedæmonios propter direptionem Meſſanæ in Siciliâ; & in Auguſtarum nummis, & lapidibus antiquis perſæpe legitur VENVS VICTRIX: ſit inſtar omnium ille, qui *Galiſtri, inter Emeritam, & Salamanticam.*

60. 1. VENERI VICTRICI
L. CORDIVS. SYM
PHORVS MEDICVS
SACR. EX VOTO.

20. Mars cum palmâ, & Manubiarum aggere.

21. Hic, *qui pampineis victor iuga flectit habenis Liber,*

triumphis aptus, quoniam primus omnium dicitur de Indis triumphaſſe. Ouidius,

En Deus in curru, quem ſummis texerat vuis,
Tigribus adiunctis aurea lora dabit.

22. An hic Romulus (cum Aureliano adhuc puero) ſub lupinâ pelle Romæ olim cultus, & *Mars Quirinalis* dictus, iuxta quem vultur, optimi augurij ſymbolum? Nam Herodotus Ponticus apud Plutarchum in Romulo, Herculi lætum augurium tradit fuiſſe, ſi vultur ei ſe obtuliſſet in re agendâ.

23. Pallas

23. Pallas haſtili innixa, à Troianis ad Biſontinos tranſmiſſa, ſuum in arcu locum occupat.

24. Columna ſuperior in infimâ parte Atlantem ceruicibus cœlum ſuſtinentem habet.

25. Fama triumphi nomen per patentes Orbis plagas tranſlatura: Elegantiorem habe, ex veteri gemmâ.



26. Saturnus alterâ manu falcem, alterâ tæniam ferens clepſydræ inſidet; nam victoria, temporis occaſione, vt plurimum comparatur.

27. Æſculapius Medicinæ Deus, Apolline genitus, ſerpentem geminum manibus premit; Serpens enim prudentiæ ſymbolum illi dicatus erat, vt præter nummos eleganter exprimit Achates antiqua mea, in qua ſic expreſſus eſt.



28. Quæ ſub Aureliani arcu cernitur hodie fornix, non adeò antiquum eſt opus, ex veterum templorum ruinis concinnatum, cui quatuor Euangeliſtarum ſigna lapidea ſuperpoſita ſunt, rudi, nec adeo bene ſuſpensâ manu fabricata, Angelus, Bos, Leo, & Aquila.

Quid aliud in arcu ſuperſit, quod Aureliano, eiuſque præclarè geſtis non conueniat non offendi.

AN BISONTINIS ARCVM in ſua Ciuitate ponere Aureliano licuerit, & cur id effecerint.

CAPVT XLIII.

IN vrbe Româ, & extra Vrbem per Prouincias erectos arcus vidimus, & legimus; vt Marco Antonino Philoſopho apud Iſtrum, pro deuictis Marcomannis; Iuliano Apoſtatæ apud Sabariam, ob deuictos Alemannos; Druſo & Germanico ad ripam Rheni; In Vrbe, vt Tito, & Veſpaſiano, Domitiano, & aliis. Poni verò poterant vel ex Senatus decreto, vel ex Plebiſcito, vel ſolâ Imperatoris autoritate. Poſuêre interdum priuati, vel negotiatorum ſocietas, vel ciuitas aliqua, teſtandæ erga Imperatorem ſuæ voluntatis ergò: Vnde colligitur, vel ex iuſſu Aureliani, vel ex ſuâ in Imperatorem beneuolentiâ Biſontinos arcum

arcũ hũc in Ciuitate ſua erigere potuiſſe,& voluiſſe, tũ quòd illos à Tetrici tyrannide feciſſet immunes, tum quia illud ſibi veluti meritum repoſcere virtus Aureliani, bis, térve *Galliæ reſtitutoris* titulo decorati, videretur; quam ſi probatam voles, Valeriani Auguſti ad Cejonium Albinum Præfectum Vrbis literæ perlegendæ ſunt, quæ ſic habent apud Vopiſcum in Aureliano: *Honorem Aureliani vita commendat, quid in illo non clarum? non cum Coruinis, & Scipionibus conferendum? cum Vipio Crinito Conſulatus, & Tribunatus quadraginta diuerſis temporibus geſſit: & verò priuſquam ſuſcepiſſet faſces Imperij, iam ſalutatus fuerat Jllyrici liberator, & reſtitutor Galliarum.* Idem Valerianus multò antè verbis huiuſcemodi illum coram toto exercitu commendarat: *Gratias tibi agit Aureliane Reſpublica, quod eam de Gothorum poteſtate liberaris; Abundamus per te prædâ, abundamus gloriâ, & his omnibus, quibus Romana fœlicitas creſcit: Cape igitur coronas vallares, & tunicam palmatam*, &c. Et tunc poſt tot hoſtium prædas pauper erat, vt obſeruat hiſtoricus, ſic vt Fabriciorum continentiæ hæres eſſet. Quotquot in Imperio vixit annos (qui fuêre circiter ſex) totos eos in amplificandâ Romani nominis dignitate poſuit, & propulſandis ex Imperij finibus hoſtium turbis, & conatibus, vt non immeritò poſt mortem (quæ inter Byſantium, & Heracliam contigit manu Mucaporis, & Mneſtei malitia qui fuerant illi à ſecretis, anno Chriſti 275) optimorum 275
Principum numero inſertus ſit, quorum fuit ille

28. Quæ ſub Aureliani arcu cernitur hodie fornix, non adeò antiquum eſt opus, ex veterum templorum ruinis concinnatum, cui quatuor Euangeliſtarum ſigna lapidea ſuperpoſita ſunt, rudi, nec adeo bene ſuſpensâ manu fabricata, Angelus, Bos, Leo, & Aquila.

Quid aliud in arcu ſuperſit, quod Aureliano, eiuſque præclarè geſtis non conueniat non offendi.

AN BISONTINIS ARCVM in ſua Ciuitate ponere Aureliano licuerit, & cur id effecerint.

CAPVT XLIII.

IN vrbe Româ, & extra Vrbem per Prouincias erectos arcus vidimus, & legimus; vt Marco Antonino Philoſopho apud Iſtrum, pro deuictis Marcomannis; Iuliano Apoſtatæ apud Sabariam, ob deuictos Alemannos; Druſo & Germanico ad ripam Rheni; In Vrbe, vt Tito, & Veſpaſiano, Domitiano, & aliis. Poni verò poterant vel ex Senatus decreto, vel ex Plebiſcito, vel ſolâ Imperatoris autoritate. Poſuêre interdum priuati, vel negotiatorum ſocietas, vel ciuitas aliqua, teſtandæ erga Imperatorem ſuæ voluntatis ergò: Vnde colligitur, vel ex iuſſu Aureliani, vel ex ſuâ in Imperatorem beneuolentiâ Biſontinos arcum

arcũ hũc in Ciuitate ſua erigere potuiſſe,& voluiſſe, tũ quòd illos à Tetrici tyrannide feciſſet immunes, tum quia illud ſibi veluti meritum repoſcere virtus Aureliani, bis, térve *Galliæ reſtitutoris* titulo decorati, videretur; quam ſi probatam voles, Valeriani Auguſti ad Cejonium Albinum Præfectum Vrbis literæ perlegendæ ſunt, quæ ſic habent apud Vopiſcum in Aureliano: *Honorem Aureliani vita commendat, quid in illo non clarum? non cum Coruinis, & Scipionibus conferendum? cum Vipio Crinito Conſulatus, & Tribunatus quadraginta diuerſis temporibus geſſit: & verò priuſquam ſuſcepiſſet faſces Imperij, iam ſalutatus fuerat Jllyrici liberator, & reſtitutor Galliarum.* Idem Valerianus multò antè verbis huiuſcemodi illum coram toto exercitu commendarat:*Gratias tibi agit Aureliane Reſpublica, quod eam de Gothorum poteſtate liberaris; Abundamus per te prædâ, abundamus gloriâ, & his omnibus, quibus Romana fœlicitas creſcit: Cape igitur coronas vallares, & tunicam palmatam*, &c. Et tunc poſt tot hoſtium prædas pauper erat, vt obſeruat hiſtoricus, ſic vt Fabriciorum continentiæ hæres eſſet. Quotquot in Imperio vixit annos (qui fuêre circiter ſex) totos eos in amplificandâ Romani nominis dignitate poſuit, & propulſandis ex Imperij finibus hoſtium turbis, & conatibus, vt non immeritò poſt mortem (quæ inter Byſantium, & Heracliam contigit manu Mucaporis, & Mneſtei malitia qui fuerant illi à ſecretis, anno Chriſti 275) optimorum Principum numero inſertus ſit, quorum fuit ille 275

Catalogus: *Auguſtus, Veſpaſianus, Titus, Nerua, Traianus, Aurelianus.* Haud diſſimilis fuit Alexandro Magno, & Cæſari Dictatori, vt refert P. Diaconus hiſtoriarum lib. 10; Immò maior, nam Romanum Orbem triennio ab inuaſoribus receptauit, cùm Alexander annis tredecim per victorias ingentes ad Indiam peruenerit, & C. Cæſar decennio ſubegerit Gallos, aduersùs Ciues quadriennio congreſſus. Tanti fuit nominis, vt nullus eius ſolium ante menſes ſeptem conſcenderit, ne virtute inferior cum eo collatus, contemptui haberetur. Imperio tandem poſt ſemeſtre Tacitus ſucceſſit, qui Senatorio munere priùs in Vrbe fungebatur. Vnde hoc ſe illius virtuti, & præclarè geſtis debere rati Veſontini, Arcum excitarunt; nec in vllo ſibi magis eum poterant demereri, quem refert Aſclepiodotus ita gloriæ cupidum fuiſſe, vt, cùm in Galliis degeret, Druidas Gallicanas (fortè Biſontinas) conſuluerit, vtrùm apud poſteros ſui memoria, Imperiúmque eſſet peruenturum. Idem poſt triumphum actum Romæ, Diis, & perennitati vota conſtituit. Cur igitur Biſontinorum prudentiæ, & conſilio non vertatur, quòd in Gallias ex Italiâ Aureliano contendenti arcum poſuerint, qui triumphi Romæ acti celebritatem, hoſtes victos, multáque alia inſignia facta referret in lapide?

ARCVS

ARCVS TRIVMPHALIS *titulus deletus reſtituitur ex coniectura: hoc Arcu Moneta olim Veſontione ſignata.*

CAPVT XLIV.

INSCRIPTIONEM aut Barbarorum inuidiâ, quibus ſæpe Veſontio ceſſit in prædam, aut temporum iniuriâ deletam, ſic lubens reſtituerem ex coniecturâ: IMP. CAESARI. AVRELIANO. AVG RESTITVT. ORBIS. CIVES. VESONTINI. Repono igitur IMP. CAES AVRELIANO. AVG. non (vt in columnâ quæ Sagunti, in platea publica eſt)

DEO 105.13.
AVRE
LIANO

Eo enim viuente conſtructus eſt arcus: At *Deûm honor* (ait Tacitus 15 annal.) *Principi non ante habetur, quàm agere inter homines deſierit*: & Tertullianus, *maledictum eſt ante Apotheoſim Deum Cæſarem nuncupare.* Hoc herclè verum ſemper fuit, licet aliquando viuentes Cæſares *Deos* vocarint adulatores aliqui: Ita quidam

quidam apud Ammianum lib.21, *Iulianum aſſiduè per literas Dominum, & Auguſtum appellabat, & Deum.* Sic etiam ſæpe Scribonius Largus Claudium *Deum Cæſarem* vocat.

Addo RESTITVT. ORBIS: ex hoc nummo Aureliani meo, hic Veſontione reperto, cum aliis pleriſque eiuſdem:



Qui forſan olim Veſontione cuſus, quam à Tetricis oppreſſam priſtinæ reſtituerat libertati. Aureliano poſitas alibi inſcriptiones hic addo ex Grutero, vt liceat vnicuique titulum abolitum ex illis ad libitum reſtaurare. Romæ in S. Nicolai, in carcere Tulliano.

276. 6. IMP. CAES. AVG. DOMITIO AVRELIANO PIO. FOEL. INVICTO RESPVB. ASTIG. DEVOTA NVMINI. MAIESTATIQ. EIVS.

Romæ

Romæ item:

IMP. CAES. AVG. DOMITIO. AVRELIANO. PIO. FELICI. INVICTO AVG. PONTIF. MAXIMO. GOTHICO MAX. GERMANICO. MAX. TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. IMP. III. PP. PRO. CONS. RESTITVTORI ORBIS. INVICTISSIMO. ET. VICTORIOSISSIMO. PRINCIPI. FVRIVS. ORFITVS. V. C. PRAEFECTVS. VRB. DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQVE, EIVS. DEDIC. KAL. FEBR. AVRELIANO. AVG. III. ET MARCELLINO COS. 276.4.

Piſauri in palatio Ducis Vrbini in baſi ſtatuæ.

VICTORIAE 276.3.
AETERNAE
AVRELIANI
AVG. N.
RESPVBLIC. PIS
CVRAM. AGEN.
C. IVLIO PRISCIANO
V. E. DVCEN. CVR. R. P.
PISAVR. ET FAN. PP. M.

Barcinone.

IMP. CAES.
176. 7. L. DOMITIO. AV
RELIANO. PIO. ET
INVICTO. AVG.
ARABICO. MAX.
GOTHICO. MAX.
PARTHICO. MAX.
TRIB. P. P. COS. III.
PROC. OPT. PRINCIPI
PI. N. ORDO BARC.
NVMINI. MAIESTQ. E.

Ex Panuinio.

MAGNO
176. 5. AVGVSTO
PRINCIPI. MAX.
IMP. FORTISSIMO
CONSERVATORI. ORBIS.
L. DOMITIO. AVRELIANO
L. F. PONT. MAX. TRIB. POT. V.
PP. COS. III. PRO. COS. GOTH. MAX.
PALMYR. MAX. GERM. MAX.
ORDO BRIXIANORVM.

Arcu

Arcu triumphali noſtro, *Porta Nigra* pridem dicto (quem Veſontionēſis Capitolij λεί ψανον eſſe, ex quorumdam relatione, bonâ fide nuper ſcripſit egregius Romani Capitolij reſtitutor Iuſtus Rycquius) tamquā celebrioris antiquitatis Biſontinæ monumento, Moneta olim Veſontione ſignata eſt, cum bracchio S.Stephani Protomartyris in parte auersâ,



more apud veteres Gallos, ſub Imperio Carlingorum, valde vſitato, vt Sanctorum tutelarium nomine nummi cuderentur: ſic *S. Martino apud Turonas, S. Nazario apud Æduos* moneta cuſa; etiam *S. Stephano apud Metenſes*, quæ *Stephanienſis* quoque dicta: Eiuſmodi nummos Gallicos pleróſque adfert Paulus Petauius Conſiliarius Regius in ſuâ antiquariæ ſupellectilis portiunculâ editâ Pariſiis anno 1610.

AMMIANVS MARCELLInus Comes; Iulianus & Gratianus Imperatores apud Veſontionem.

CAPVT XLV.

AMMIANVS Marcellinus Comes, natione Græcus, Iuliani Imperatoris miles (cuius vitam nondum editam ſcripſit Cl. Chiffletius) res ſuo tempore in Galliâ & Germaniâ geſtas accuratiſſimè in libros triginta, & vnum redegit, quorum tredecim priores, iniuriâ temporum periêre, in ſequentibus ter meminit Veſontionis. Libro enim decimo quinto ſub finem vbi de Galliis agit, ſe Veſontione fuiſſe teſtatur his verbis: *Apud Sequanos Biſontios vidimus, & Rauracos cæteris potiores oppidis multis:* Et lib. 16. initio de Iuliano: *Ciuitatem Rhemos nihil prolatandum exiſtimans petit, vbi in vnum congregatum exercitum Veſontij* (anno
356. Chriſti 356. *) iuſſerat opperiri præſentiam ſuam, cui præſidebat Vrciſſini ſucceſſor Marcellus, & ipſe Vrciſſinus ad vſque expeditionis finem agere præceptus iiſdem in locis.* Et lib. 20. de eodem Imperatore, poſt Arthuarios repreſſos: *ad vſque Rauracos venit, lociſque recuperatis, quæ olim Barbari intercepta retinebant vt propria, iiſdémque pleniore curâ formatis, per Beſantionem, Viennam hyema*

hyematurus abceſsit. Contigit hic Iuliani per Veſontionem tranſitus anno Chriſti 360, paulò pôſt quàm ab exercitu ſuo Imperator eſt appellatus. Huiuſque vltimæ peregrinationis meminit ipſemet in epiſtolâ, quam ex Illyrico ſcripſit ad Maximum Philoſophum, ſuum quondam ad omnem impietatem pædagogum, in quâ Veſontionem vti tunc erat, accuratè deſcribit: Sic habet:

Μαξίμῳ φιλοσόφῳ.

ΠΑΝΤΑ ἀθρόα ἔπεισί μοι, καὶ ἀποκλείει τὴν φωνὴν ἄλλο ἄλλῳ προσελθεῖν οὐ συγχωροῦν τῶν ἐμῶν διανοημάτων· εἴτε ψυχρὸν τῶν παθῶν, εἴτε ὅπως φίλον κατονομάζειν τὰ τοιαῦτα. ἀλλ' ἀποδῶμεν αὐτοῖς, ἣν ὁ χρόνος ἀπέδωκε τάξιν, διαχαριστήσαντες τοῖς πάντα ἀγαθοῖς θεοῖς, οἳ τέως μὲν γράφειν ἐμοὶ συνεχώρησαν, ἴσως δὲ ἡμῖν καὶ ἀλλήλους ἰδεῖν συγχωρήσουσιν. ὡς πρῶτον αὐτοκράτωρ ἄκων ἐγενόμην· ὡς ἴσασιν οἱ. θεοὶ, καὶ τοῦτο αὐτοῖς καταφανὲς ὃν ἐνεδέχετο τρόπον ἐποίησα. στρατεύσας ἐπὶ τοὺς βαρβάρους, ἐκείνης μοι γενομένης τριμηνίου στρατιᾶς, ἐπανιὼν εἰς τοὺς γαλατικοὺς, ἐπεσκόπουν, καὶ τῶν ἐκεῖθεν ἡκόντων ἀνεπυνθανόμην, μή τις φιλόσοφος, μή τις σχολαστικὸς, ἢ τριβώνιον ἢ χλανίδιον φορῶν κατῆρεν· ἐπεὶ δὲ περὶ τὸν Βικεντίωνα. πολίχνιον δὲ νῦν ἐστιν ἀνειλημμένη, πάλαι δὲ μεγάλη τε ἦν, καὶ πολυτελέσιν ἱεροῖς ἐκεκόσμητο, τείχει καρτερῷ, καὶ προσέτι τῇ φύσει τοῦ χωρίου, περιθεῖ γὰρ αὐτὸ ὁ Δοῦβις ποταμὸς, ἣ δὲ ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πετρώδης ἄκρα ἀνέστηκεν, ἄβατος ὀλίγου δέω φάναι καὶ αὐτοῖς ὄρνισι, πλὴν ὅσα ὁ ποταμὸς αὐτὴν περιῤῥέων, ὥσπέρ τινας αἰγιαλοὺς ἔχει προκειμένους. ταύτης πλησίον τῆς πόλεως ἀπήντησε κυνικός τις ἀνὴρ, ἔχων τρίβωνα καὶ βακτηρίαν. τοῦτον πόρρωθεν θεα-

σάμβρος, οὐδὲν ἄλλο ὑπέλαβον ἢ σέ. πλησίον δὲ ἤδη προϊὼν, παρά σου πάντος ἥκειν αὐτὸν ἐνόμιζον. οὗτος δ᾽ ἀνὴρ φίλος μὲν, ἥττων δὲ τῆς προσδοκωμένης ἐλπίδος· ἓν μὲν δὴ τοιοῦτον ὄναρ ἐγένετό μοι· μετὰ τοῦτο δὲ ᾤμην σε πολυπραγμονήσαντα τὰ κατ᾽ ἐμὲ, τῆς ἑλλάδος ἐκτὸς οὐδαμῶς διεσθῆναι. ἴσω Ζεὺς, ἴσω μέγας ἥλιος, ἴσω Ἀθηνᾶς κράτος, καὶ πάντες θεοὶ καὶ πᾶσαι, πῶς κατιὼν ἐπὶ τῶν Ἰλλυριῶν ἀπὸ τῶν Κελτῶν, ἔτρεμον ὑπέρ σου, &c.

Maximo Philoſopho.

Omnes vno tempore cogitationes meæ ſeſe mihi offerunt, vocémque intercludunt, dum nulla aliam præire patitur, ſiue eſt ineptus, & frigidus quidam affectus, ſiue aliud quodcumque voles nominare: ſed demus eis locum, quem tempus tribuit, Diiſque optimis gratias agamus, qui adhuc facultatẽ ſcribendi nobis conceſſere, ac viſendi mutuo fortaſſis etiã concedent. Cùm primùm Imperator inuitus creatus ſum (cuius rei conſcij ſunt Dij, & quantùm in me ſitum fuit, ipſis declaraui) bellum gerens in Barbaros, & trimeſtri ſpatio in eâ militiâ conſumpto, ad Gallos reuertens, circumſpiciebam, & percontabar de omnibus, qui illinc venirent, num quis Philoſophus, num quis ſcholaſticus, aut pallio, penuláve indutus eò appuliſſet. Cùm autem Veſontionem appropinquarem (eſt autem oppidum nunc dirutum, magnum tamen olim, & magnificis templis ornatum, mœnibus firmiſſimis, & loci naturâ munitum, proptereà quod cingitur Dubio: eſtque, vt in mari, rupes excelſa, propemodũ ipſis auibus inacceſſa, niſi quà flumen ambiens tamquam littora quædam habet proiecta) Cùm inquam prope abeſſem ab hac vrbe, vir quidam Cynicus cum perâ, & baculo mihi occurrit;

eum

eum ego cùm eminùs aſpexiſſem, teipſum eſſe putaui, cùm acceſſi propius, à te omnino illum venire ſuſpicatus ſum: eſt autem mihi quidem ille amicus, multùm tamen infra expectationem meam: ergò hoc vnum nobis commodum attulit. Poſtea exiſtimabam te de rebus meis ſollicitum, nuſquam è Græciâ pedem extuliſſe. Teſtis eſt Iupiter, teſtis Magnus Sol, teſtis Minerua, teſtes Dij, Deæque omnes, quanto in timore tuâ causâ fuerim, cum ab Illyriis ad Gallos venirem, &c. Hæc Iulianus: poſt quem Gratianus Pius, & Religioſus Princeps, cùm in Germaniam feſtinus proficiſceretur, Veſontione iter habuiſſe fertur, quod innuere videtur Auſonius in gratiarum actione pro Conſulatu, his verbis: *Tu Gratiane tot Romani Imperij limites, tot flumina, & lacus, tot veterum interſepta regnorum, ab vſque Thraciâ, quàm longus eſt tractus Illyrici; Venetiam, Liguriamque, & Galliam veterem; Inſuperabilia Rhetiæ, Rheni accolas, Sequanorum inuia, porrecta Germaniæ, celeriore tranſcurſu, quàm eſt properatio noſtri ſermonis euoluis*, &c. Per *inuia Sequanorum*, tractum illum intelligit, in quo Mons Iura,

Celſior exurgit pluuiis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

VESONTIO A VV-ANDALIS Croſco Duce fruſtrà bello tentata: Burgundionum in Maximam Sequanorum ingreſſus.

CAPVT XLVI.

406. ANNO Chriſti 406. (vt refert Proſper in Chronico, qui tunc temporis agebat in viuis) Arcadio VI. & Probo Coſſ. Vvandali,& Alani Gallias traiecto Rheno,pridie Cal.Ianuarij ingreſſi, & eaſdem annis ſequentibus deprædati ſunt, Duce Croſco, qui (vt parte ſecundâ in Antidio dicemus) Veſontionem noſtram fruſtra bello tentauit.

413. Anno verò 413. (ſecundum Proſperum,& Caſſiodorum,) Maximam Sequanorum prouinciam occuparunt *Burgundiones*, quos in primâ illâ populorum Borealiũ irruptione Vvandalis permixtos iam fuiſſe notat ſanctus Hieronymus epiſtolâ ad Ageruchiam. Veſontionem eorum furori ceſſiſſe minimè conſtat, (Immò ex earum inſignium Galliæ Ciuitatum numero fuiſſe creditur, *quæ*, vt ait Rhenan. lib. 2. rer. Germanic. cap. 1. & 2. *per Magiſtratus Romanos defendebantur, nondum amiſſâ ſpe reſtituendi Romani Imperij,*) quamuis numeretur inter vrbes Burgundiæ

gundiæ primarias, prima à Ligurino, lib. 5. in Ahenobarbo:

Has ibi Metropoles, & primi nominis vrbes,
Chryſopolim placidam, Lugdunum, atque Viennam;
Quæque tuos ſpumante mari Prouincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis.
Chryſopolim Dubius, reliquas perlabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

Attamen quia in liberæ Burgundiæ ſinu,

Pacis vt in mediæ gremio ſecura quieſcit,

de Burgundionum origine, & migrationibus, ex aliis, meo more, pauca recenſebo. Hos à Burgis nominatos docti omnes vno ore ſentiunt: *Burgus* autem, inquit Vegetius lib. 4. cap. 10, *Caſtellum paruulum eſt, à Græco nomine πύργος, quod arcem ſignificat.* Eiuſmodi habitacula plurima in Germaniâ conſtruxiſſe dicuntur, priuſquam Rhenum tranſirent, vt *Albumburgum, Kiemburgum, Vvaſſelburgum, Vvaltemburgum, Azelburgum, Memburgum, Straburgum,* &c. Tranſacto quoque Rheno caſtra multa in Sequanico excitarunt, corruptiori paulò nomine dicta *Chaſtillon,* quaſi *caſtellum* dicas, diminuto à caſtro vocabulo, vt ait Vegetius 3. de re milit. cap. 8, quorum ſitum, & poſitionem munitiſſimam eſſe nemo, qui viderit, dubitabit.

Sanjulianus temerè putat eos fuiſſe Galliæ Celticæ indigenas, cum Vandalorum gentem eſſe inter eruditos conueniat; de quorum ortu Plinius lib. 4. cap. 14: *Germanorum,* inquit, *genera ſunt quinque, Vindili,*

dili, quorũ pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones,&c. Quæ de illorum origine tradiderunt Oroſius, Paulus Diaconus, & Iſidorus, *eos quondam ſubactá interiore Germaniâ à Druſo, & Tiberio adoptiuis filiis Cæſaris, per caſtra diſpoſitos in magnam coaluiſſe gentem, tum poſtea rebelles Romanis effectos, pluſquam LXXX armatorum millia ripæ Rheni fluminis inſediſſe;* figmenta, & aniles fabulas eſſe probat Cluuerius lib. 3. antiq. German. cap. 36, oſtenditque poſtquam ſemel ſub Probi Imperio, à patriâ ſede ad Rhenum profecti ſunt, nunquàm poſteà conquieuiſſe, donec in eâ parte Galliæ conſederunt, quæ hodieque ab iis Gemina dicitur Burgundia, *Ducatus*, atque *Comitatus*: primùm tamen in Chattorũ ſolo, proximè Alemannos, trans Mœnum habitaſſe, iuxtà Macriani regnum, quod inter Lonam, ac Mœnum amnes erat, ex aduerſo Moguntiaci; idque ex hiſtoriâ Marcellini, in qua lib. 28. hæc leguntur: *Poſt hæc ita proſperè conſummata, Valentinianus verſando ſententias multiformes, anxiâ ſolicitudine ſtringebatur, reputans multa, & circumſpiciens, quibus commentis Alemannorum, & Macriani Regis frangeret faſtus, ſine fine, vel modo rem Romanam inrequietis motibus confundentes: Immanis enim natio iam inde ab incunabulis primis varietate caſuum imminuta, ita ſæpius adoleſcit, vt fuiſſe longis ſæculis æſtimetur intacta. Deditque conſilia alia poſt alia Imperatori probanti, Burgundios in eorum excitari perniciem, bellicóſos, & turbæ immenſa, viribus affluentes, ideóque metuendos finitimis vniuerſis ſcribebátque frequenter ad eorum Reges, per taciturnos quoſdam,*

dam, & fidos, vt iiſdem tempore præſtituto ſuperuenirent; pollicitus ipſe quoque, tranſito cum agminibus Romanis Rheno, occurrere pauidis, pondus armorum vitantibus inſperatum. Gratanter ratione geminâ Principis acceptæ ſunt literæ, primâ quòd iam inde temporibus priſcis, ſobolem ſe eſſe Romanam Burgundi ſciunt, dehinc quòd Salinarum causâ Allemannis ſæpe iurgabant. Cateruas miſere lectiſſimas, quæ antequam miles congregaretur in vnum, ad vſque ripas Rheni progreſſæ, Imperatore ad extruenda munimenta diſtricto, terrori noſtris fuêre vel maximo. Igitur paulisper morati, cùm neque Valentinianus, vt ſpoponderat, die prædicto veniſſet, nec promiſſorum aliquid aduerterent factum, ad Comitatum miſêre legatos poſcentes adminicula ſibi dari rediturꝭ ad ſua, ne nuda hoſtibus exponerent terga: quod vbi negari per ambages ſentirent, & moras necti, exinde diſceſſerunt indignati: hocque comperto Reges, vt ludibrio habiti, ſæuientes captiuis omnibus interfectis, genitales repetunt terras. Apud hos generali nomine Rex appellatur Hendinos, & ritu veteri poteſtate depoſitâ remouetur, ſi ſub eo fortuna titubauerit belli, vel ſegetum copiam negauerit terra, ſicut ſolent Ægyptij caſus huiuſmodi aſſignare rectoribus; nam Sacerdos apud Burgundios, omnium maximus vocatur Siniſtus, & eſt perpetuus, obnoxius nullis diſcriminibus, vt Reges. Cauete verò Burgundiones noſtri, ne *Salinas*, quarum causâ Valentiniani Imp. æuo, cùm Allemannis contendebant Patres veſtri (*Salſi* forſan idcircò primùm cognominati) pro ſalinis veſtris Sequanicis accipiatis, â quibus erant longè diſſitæ, apud vicum *Saltz*, qui Latinè *Sal* ſonat, ſub monte

 Fo

Fogelſberg, vt Cluuerius annotauit loc. cit. vbi probare pergit, ex Eumenio, Allemannis in Rhetiam, Heluetiámque tranſgreſſis, in eorum agris, inter Mœnum, Danubium, & Rhenum, Burgundiones poſtmodum cōſediſſe; pulſóſque tandem ab Hunnorum natione (*quæ*, vt ait Socrates, *fines eorum vaſtabat, & complures ſæpenumerò trucidabat*) in Maximam Sequanorum prouinciam Rheno traiecto irrupiſſe; tum *Arelatenſe regnum* conſtituiſſe, cuius hodie partem adhuc occupant, Patribus ſuis virtute non inferiores; etenim *—ſi fortè premantur*
Vel numero, vel ſorte loci; mors obruit illos,
Non timor, inuicti perſtant, animóque ſuperſunt
Jam propè poſt animam.

DE PRISCA BISONTINOrum & Burgundionum proceritate.

CAPVT XLVII.

QVÆ de Gigantum proceritate prodita ſunt ab antiquis, Magius 1. miſcel. cap.4. tam ſacrorum, quàm Ethnicorum autorum teſtimoniis, vera eſſe demonſtrare conatus eſt. Galeotus Martius de doctrina promiſc.cap.36. narrat, tempore Henrici III. Regis inuentū fuiſſe Romæ cadauer Pallantis, quem Turnus occidit, tantæ magnitudinis, vt ſui longitudine murorum Vrbis altitudinem æquaret.

æquaret. Boccacius lib.4.Gen.Deor. meminit cadaueris in Siciliâ reperti, vltrá ducentos cubitos proceri: & è regione *Valentiæ* Allobrogũ (ex notis Dalechampij ad Plinij cap. 16, lib. 7.) in torrente, qui rigat pagum *Diui Peratij*, regnante in Galliâ Ludouico X I, Gigantis cadauer effoſſum eſt ſtupendæ, & inuſitatæ magnitudinis, & quæ, vt ex variis eius picturis, ac oſſibus deprehenditur, ad octodecim pedes accederet. Sed præ cæteris Populi Septentrionales magna olim, & procera habuerunt corpora. Cæſar de Germanis ſcribit, reperta fuiſſe poſt pugnam illorum cadauera, ob proceritatem prodigioſa. Oſſa *Teutobochi* Cimbrorum Regis (cuius meminit Florus in ſua Epitome lib.3, cap. 3;) anno 1611. reperta ſunt in agro Viennenſi, non procul ab oppido *Beaurepaire*, tantæ magnitudinis, vt ex dentium, & maxillæ magnitudine, qui viderunt collegerint à mento ad verticem, ſex ad minus pedum altitudinem habuiſſe, ex quo totius corporis prodigioſam proceritatem coniicere quiuis poteſt; quamquam non ſatis tutò pars ex parte æſtimatur in tanto corpore, quod proportione ſuâ caruiſſe verò ſimillimum eſt. Burgundiones noſtros, quia è Germaniâ primùm prodierunt, *Septipedes* vocat Sidonius Apollinaris lib. 8, epiſt. 3.

Hic Burgundio ſeptipes frequenter, &c.

Vndè colligo illos ſummum adoleſcendi modum attigiſſe, qui ſeptem pedum Romanorum eſt, ſi Agellio fides, lib. 3, cap. 10; & Solino lib. 7, cap. 16:

quinimò fuiſſe humanâ ſtaturâ proceriores, & verò etiam Gigantes: nam de iiſdem citato carmine canit Apollinaris:

Tot tantique petunt ſimul Gigantes,
Quod vix Alcinoi culina ferret.

Nec mirum; viderunt noſtrâ ætate fide digni homines effoſſa in liberâ Burgundiâ Gigantis oſſa adeo magna, firma, craſſa, & oblonga, vt cruris os, cuidam in agris foſſæ tranſmittendæ vice ponticuli peditibus inſeruiret. Vidi ego anno 1612, in Franciſcanorum Biſont. ædibus, effoſſam equitis maxillam (nam & magna reperta ſunt calcaria) adeo magnam, vt molares eius dentes, equinis craſſitie æquare auſim. In campo item nigro Biſontino, oſſa pridem eruta magnitudinis propè incredibilis: Nuper etiam *Giacis* inter quæ reperta eſt maxilla humana inferior (quæ penes me eſt) octo tantum in anteriori parte dentibus, iiſque partim inciſoriis, partim caninis prædita, & quæ molares nullos habuerat vnquam; læuis quippe, & nullis alueolis, ſiue præſepiolis inæqualis; eâ parte, quâ tales dentes clauorum modo inſeri ſolent; quod quia in Anatomiâ rarum, hîc prætermittere nolui.

In caſtello Ducis Burgundiæ, quatuor aut quinque milliarium itinere, à Veſontione diſtante (vulgò, *Chaſtillon le Duc*) habitauit olim vir Burgundio, adeò proceræ ſtaturæ, vt omnibus eſſet terrori; *Gigantem Caſtri Ducis* vocabant: Eius longitudo ex oſſibus effoſſis manifeſta, vt poſteris omnibus &

bus & ipſis etiam eò peregrè proficiſcentibus innoteſceret, iuxta viam publicam, non procul à caſtro, geminas in terrâ fixerunt metas, tantùm à ſe inuicem diſtantes, quantùm longitudinis habebat Gigas ille; pedum ſcilicet Mathematicorũ circiter ſexdecim; víxque ab illo tempore vllus ſiue pedes, ſiue eques illac iter habens, vlterius progreditur, quin tantam humani corporis proceritatem propriis pedibus dimetiatur; vnde tritum eſt adeò metarum ſpatium intermedium, vt nuſquam viridi gramine, ſicuti vicina tellus operiatur. Noſtri Burgundiones vix hodie (vt cæteri Galli) ſex pedum longitudinem attingunt; *quis enim* (inquit Solinus cap.5.) *iam æuo iſto non minor ſuis parentibus naſcitur?*

Terra malos homines nunc educat, atque puſillos:

vt canit Iuuenalis Sat. 15.

BVRGVNDIONVM SIGNA militaria Felis, Anguis, Crux Andreana; hæc vndè, vbi, qualis.

CAPVT XLVIII.

SEPTENTRIONALES in ſignis militaribus, ferarum effigies, Ægyptiorum more, antiquitus prætuliſſe Diodorus Siculus libr. 1. prodidit. Taurus ideò Cimbrorum, Leo Francorum, Ælurus, ſiue Felis Alanorum,

rum, Burgundionum,& Sueuorũ inſigne,in ſignum libertatis olim fuit, *ex Methodio.*

Anguem quoque ſeu Draconem,ante ſuſceptam Chriſti fidem,pro militari ſymbolo Vandalicæ gentis Burgundiones habuerunt, ex Sidonio carm. 5.

----Iam textilis anguis
Diſcurrit per vtramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit Zephiris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem, pannóque furorem
Aura facit, quoties craſſatur vertile tergum
Flatibus, & nimium iam non capit aluus inane.

De ſimilibus ſignis Ammianus, vbi de pompâ, quâ Conſtantius Imperator Romam ingreſſus eſt lib.16: *Alios purpureis ſub tegminibus texti circumdedêre Dracones, haſtarum aureis, gemmatiſque ſummitatibus alligati, hiatu vaſto perflatiles, & ideò velut irâ perciti ſibilantes, caudarúmque volumina relinquentes in ventum.* Claudianus: *----hi picta Draconum*
Colla leuant, multúſque tumet per nubila ſerpens
Iratus ſtimulante Noto, viuitque receptis
Flatibus, & vario mentitur ſibila tractu.

Verùm Chriſtianæ fidei lumine illuſtrati Burgundiones, ex Draconariis facti ſunt *Cruciferi*: Exſtant enim permulti apud noſtrates rerum Burgundicarum Commentarij Gallicè conſcripti, in quibus *Stephanus* quidam Burgundiæ Rex dicitur *Crucem S. Andreæ* pro vexillo militari ſibi ac ſuis primus accepiſſe, eámque ex Achaiâ deportatam, Maſſiliæ collocaſſe. Stephanum hunc (quia nullus huius nominis

minis exſtat in probatis Burgundiæ chronicis) non alium eſſe ſuſpicor à Gundiocho Burgundionum Rege, qui quoniam cecidiſſe in pugnâ dicitur, cùm iam Catholicus aduerſus Attilam pro Romano Imperio dimicaret, opinor eum, *Stephanum* in baptiſmo vocatum, qui tamen ab illius æui ſcriptoribus *Gundiochus* ſemper dictus ſit.

Eam verò Crucem Paradinus de Antiq. ſtat. Burg. ad annum 401 dicit à Stephano Rege in S. 401.
Victoris Maſſilienſem Baſilicam (in quâ nunc habetur) illatam; Nos ex certioribus monumentis, collocatam cenſemus in agri Maſſilienſis monaſterio Sanctimonialium *de Vveaune* ad littus maris, altero circiter à Maſſiliâ milliario. Quo verò pacto ad S. Victorem deuenerit, habe ſic, ex Maſſilienſium commentariis.

Cùm Saraceni Catalauniæ incolæ Prouinciam deuaſtarent, Moniales dicti Monaſterij *de Vveaune* B. Andreæ Cruci, quam religioſè aſſeruabát à flammis, aliaue iniuriâ cautum eſſe voluerunt. Igitur excauatâ humo crucem ſepeliunt, ratæ nimirum ita Barbarorum oculos, manuſque euaſuram: Barbaris deinde in Monaſterium irrumpentibus, veritæ ne pudori ſuo vim inferrent, naſum ſibi, aures, & labia, piâ crudelitate præſciderunt, vt deformes apparerent; & ſanè omnes interfectæ ſunt: quarum corpora, aliquo poſt tempore diſquiſita, in Monaſterium S. Victoris tranſlata ſunt, & in ſacello Eccleſiæ inferioris repoſita, cuius ingreſſu Pontificiâ

autoritate, ſub pœnâ excommunicationis mulieribus interdictum eſt. Solicitè deinde diſquiſita eſt à Monachis S. Victoris Crux Andreana; cumque nuſquam occurreret, credita eſt aut ſublata à Saracenis, aut concremata. Hugoni poſtmodum cuidam, ex eodem Monaſterio, inter Miſſarum ſolemnia Angelus tertiò apparuit, crucémque in terrâ abditam in Monaſterio *de Vveaune* reuelauit, quod cùm Superiori manifeſtaſſet, ad eum locum à Monachis piè proceſſum eſt, qui crucem inibi effoſſam in S. Victoris (vbi nunc cernitur) monaſterium importarũt. Bono huic Hugoni, qui *Sanctus* vulgò habebatur, poſitus eſt, præter morem, tumulus è marmore candido vermiculato, in quo expreſſus eſt quaſi ſacris operans ad altare, è quo B. Andreæ crux ſeſe illi offerat, atque hoc adſcriptum Epitaphium:

Hugo Sacriſta, quem petra tegit breuis iſta,
Congaudet cœli ſanctis, ſocius Michaëlis;
Vniuerſorum flos, & decus hic Monachorum;
Cultor ſanctorum meritò ſepelitur eorum
Templo, quod primo quaſi totum fecit ab imo.
Depoſitis membris octaua luce Nouembris;
M ſi iungatur C bis, poſt L que ſequatur,
Annus monſtratur, in quo ſuper aſtra locatur.

Hinc vides non multò ante annum 1250, illatam in S. Victoris Monaſterium B. Andreæ Crucem.

Anno verò 1494, primâ Ianuarij, quidam Lazarus *Barbany*, eius Monaſterij Religioſus, ac Prior in Prioratu S. Petri, dictam Crucem furto ſuſtulit, exſtántque

ſtántque eius pœnitentiæ, ac reſtitutionis tabulæ anni 1494, 29 Auguſti in ſcriptis Ioannis *Maſſately* Notarij, fol. 420.

Porrò ea crux creditur eſſe de ligno oliuæ: id aſſerit Guil. Gazetus in vitis Sanctorum tom. 2, in vita S. Andreæ, & fauet vetus commentarius Hippolyti Græcè conſcriptus, quem citat Baronius in Martyrol. in feſto eiuſdem Apoſtoli: Patet denique ex eius quadam particulâ, quæ aſſeruatur in Maſſilienſi Prædicatorum Eccleſia, cum maiori parte barbæ S. Apoſtoli, longæ, vt minimum, palmum vnum, niuis inſtar candidæ, circumſperſis tamen pauculis capillis nigris. Crux eſt longa decem palmos, lata totidem, de lignis quadratis, ferro vndequaque contecta, ſi reticulatam feneſtellam excipias, quâ præbetur oſculanda. Sic autem eſt diſpoſita ✚; altero nempè ligno ad planum ſolum perpendiculari; quamquam Nicephorus in eam ſic diſpoſitam ✖ B. Andream aſſerit fuiſſe ſublatum: ſed quomodocumque conſtituatur, eadem ſemper eſt decuſſata, & ad angulos rectos. Ex quo videntur mihi Robertus Cœnalis, & Ioannes Molanus lib. 3 de Imaginibus, quíque eos ſequuti ſunt recentiores, leuiter ſatis, & inconſideratè loquuti, dum contrà vulgatiſſimam traditionem dixêre Domum Burgundicam aberrare in eo, quòd Crucem Andreanam pro inſignibus habere ſe glorietur; Nam quod Crux alium habeat ſitum, & poſitionem in inſigni Burgundico ſic ✖, quàm in templo S. Victo-

ris, in quo ſic eſt diſpoſita ✚; hoc non mutat Crucem, ſed tantum Crucis ſitum: & ſitus ille in formam literæ X, refert ſitum crucis Andreanæ, quandò in eâ crucifixus eſt: Crux enim decuſſata non alio modo apud veteres diſpoſita eſt, quàm humi defixis duobus brachiis inferioribus, vt artus ſuſpendioſi in quatuor crucis cornua extenderentur; quòd bene notant Gretſerus, Lipſius, & alij, qui de Cruce. Quare ſitus Crucis, Maſſiliæ potius mutandus eſſet, vt ſicut Crux Burgundica, ſitum Crucis S. Andream ſuſtinentis imitaretur. Deindè quod aliquádo pingatur Crux in inſignibus Burgundicis, duobus angulis acutis, & obtuſis duobus, hac forma X; non autem quatuor rectis in hunc modum ✕; diſcrimen valdè modicum eſt, & id plerumque propter anguſtias ſcuti oblongi, neque ita in latum protenſi, atque etiam in partes diſtincti, ex quo fit vt duo anguli, dexter, & ſiniſter obtuſi ſint, alij verò acuti.

RESTITVTA VETERVM Burgundionum Aurea Moneta, ex natiuo Galliarum metallo.

CAPVT XLIX.

VT noua, & anteà incomperta de Burgundicâ cruce ſuperiori capite dedimus, ſic nemini dicta de illorum monetâ hîc daturi ſumus. Imprimis certum eſt veteres Germaniæ populos (*quo*

los (*quorum vita omnis in venationibus, & ſtudio rei militaris conſiſtebat*, ex Cæſare bell. Gall. lib. 6,) monetam propriam in Germaniâ numquam conflaſſe, priuſquam Rhenum tranſirent: hinc Tacitus, *pecora illis eſſe gratiſſimas opes*, dixit, eoſque *pecuniam probare veterem, & diu notam, ſerratos, bigatóſque*; commerciorum causâ ſcilicet, cùm adhuc propriam non haberent. Tranſacto verò Rheno, Gallicis excultos moribus, & conſuetudinibus, monetam conflaſſe ſi quis neget, aſſignet ille mihi Triumuiros Monetales, aut Principes, quorum iuſſu percuſſi ſint *Nummi* quidam *Nigri*, qui per Europā diſſeminati reperiuntur: Ærei ſunt, rarò Argentei; fuſi, & non percuſſi; qui liquato igne metallo, & in formam fuſoriam proiecto, Equi, Leonis, aut alterius animalis notâ ſignabantur, qualem in Typo metallico faber anteà imperitus expreſſerat. Huius generis fuiſſe puto nummos illos, quos apud Principem quemdam Hotomanus ſe vidiſſe commemorat lib. de re nummariâ cap. 1; quos ſi flammæ ignis admouiſſet, aut ſi cultro tantillum pigmenti nigri abraſiſſet, eos nec liquari, nec flammam concipere, ideóque non Electreos Bituminoſos, ſed metallicos abſque dubio comperiſſet. Sanè qui Romanos, Græcos, aut veteres Gallicos eos diceret, maximam populis illis excultiſſimis inferret iniuriam: nec vllis tutius aſſignari poſſunt, quàm Gothis, aliiſque Barbaris è Septentrione populis in Gallias tranſmigratis, rudibus, & incultis, rudem idcirco, & malè formatam mo-

netam cudentibus, æream quidem, & argenteam cum ſui Principis effigie; non autem auream, quæ ſolis Burgundionibus fuit peculiaris, vt clarè docuit Procopius lib. 3 de bello Gothorum: *Galliarum* (inquit) *partem ſuæ quondam ditionis effectam in huius belli principio Gothi Germanis tradiderunt, cùm minùs ſe poſſe exiſtimarent Romanis ſimul, ac Germanis reſiſtere. Id factum Romani non interpellarunt; ſed vt Gallias ſibi haberent Iuſtinianus vltrò permiſit: Non enim illi has tutò poſſeſſuros putabant, niſi & Imperator vt ſuæ ditionis futuras perpetuò confirmaſſet. Quo factum, vt ex eo tempore Germanorum Principes Maſſiliam Phocenſium quondam coloniam, & cætera circa id loca tenuerint, totiuſque eius oræ maritimæ potiti Imperio ſint: Vnde & Arelate nunc reſident. Aureum nummum è natiuo Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, vt cæteri ſolent imagine, ſed ſuâ impreſſâ: Perſarum ſiquidem Imperator, etſi ad arbitrium argenteum numiſma facit, aureo tamen non illi fas eſt, ſuam vt imponat effigiem, nec Barbarorum quiſquam alius Princeps id facere auſit.* Per *Germanos* Burgundiones hîc intelligi nemo negauerit, qui olim Germanicæ gentis, quique multo tempore apud Arelatem Regiam habuerunt. Sed vbi tot nummi aurei, quos ſoli, inter tot barbaras gentes, ſui Principis cuſerunt imagine? perierint omnes? minimè ſanè: Illos ipſos eſſe arbitror, qui à vulgo, (vt ex Procopio liquet) malè *Gothici* nuncupantur, apud nos ſatis communes, concaui, & eâ, quâ cernis hîc, figurâ.

Nam



Nam aurei ſunt, neque Romani Principis, ſed externi præferunt caput in conuexâ parte; In concauâ verò vel Equum, vel Bigas, ex quibus pugnare moris erat, vel Equitem cum Cruce Burgundicâ in ſcuto, aut labaro. Aurum tamen, quo conſtant non eſt obryſum, ſed æroſum,& quale Gallicum ſolum tunc præbebat, aut ex fluuiis, quos in Galliâ plures auriferos eſſe Diodorus tradidit; aut ex Alpibus, quæ Galliam Comatam à Togatâ diuidebant; vel ſi placet ex monte Iurâ, in quo detectæ nuper auri, & argenti fodinæ; & veterum veſtigia ſuperſunt in antris pleriſque non naturâ,ſed arte factis,quale eſt, quod *Quingiacum* nominatur, octauo circiter à Veſontione milliari, iuxta *Auricellam* vicum. Metallorum quoque gratiâ, & ad mineras eluendas, & excoquendas exſtructum puto immenſæ quondam molis ædificium, cuius ruinæ reſtant in Burgundiæ

noſtræ

noſtræ montoſis, & inuiis, non procul à fano Claudiano, vbi *Pons arcarum* adhuc viſitur, vulgò dictus *Pont des Arches*, à geminis fornicibus arcas referentibus, quæ aquis è vicino *lacu Antri* deducendis dubio procul inſeruiebant.

ATTILÆ REGIS HVNNOrum in Gallias irruptio: Moneta cuſa: Veſontionis excidium, & varij ſtatus.

CAPVT L.

451. ANNO Chriſti 451, Marciano Auguſto, & Adelphio Coſſ. Attila Rex Hunnorum *flagellũ Dei* cognominatus, Gallias diriſſimâ clade affecit: Per eum dirutam fuiſſe Veſontionẽ noſtram notat *Robertus* monachus cœnobij S. Mariani apud Altiſſiodorũ regulæ Præmõſtratenſis, in ſuo chronico perducto à Chriſti ortu ad annum 1200, edito anno 1608, operâ *Nicolai Camuzæi* Tricaſſini, in quo quia cladem illam totam breuiter enarrat, placet eius verba ſubiicere: *Anno ſecundo Imperij Marciani, Attila Rex Hunnorum, Vvalemeris Oſtrogothorum Regis, & Ardarici Gepidarũ Regis, & multarum Aquilonarium gentium ſibi ſubiectarum auxilio fultus, à Pannoniis egreſſus, Occidentale Imperium inuadit cum* 500 *armatorum millibus, & primò per totas Gallias tanta per*

ta per eos efferbuit Dei indignatio, vt nullam omnino ciuitatem, caſtellum, vel oppidam, aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio. Poſtremò Aurelianis vrbem iis obſidentibus, ad ſubſidium Galliarum aduolauit Patricius Romanorum Aëtius, fultus & ipſe Theoderici Vviſigothorum Regis, & Merouei Francorum Regis, aliarumque gentium militaribus copiis. Conſerto prælio in campis Catalaunicis pugnatum eſt vſque ad direptionem noctis. Aëtius ſuperior quidem receſſit, Attilam tamen non vſque ad internecionem deleuit: Cæſa ſunt ibi 180 *pugnatorum millia, inter quos etiam cecidit Theodericus Rex Vviſigothorum, cui Thuriſmundus filius eius ſucceſſit in regnum. Porrò Attila victus in clauſtra, quæ de plauſtris præparauerat ſe recepit. Aëtius verò Patricius inde digreſſus ad patriam remeauit. Attila quoque reſumptâ ſpe ex Aëtij receſſu repatriauit, maturè rediturus ſuppleto exercitu. Porrò in reditu nunc huc, nunc illuc per Gallias, ſtrages dedit innumeras, Vrbes Veſontionem & Tullum, Lingonis, & Treuiris diruens, ſed maximè Tungris, quæ funditus euerſa eſt. Metis prorſus incenſa eſt, excepto Protomartyris oratorio, quod quidam deſuper in armis ſplendidus, à talium hoſtium flammis defendit. Ventum eſt Trecas, pugnatur ad portas, deſuper B. Lupus hoſtem compellans, quiſnam tu es inquit, qui ſic nos impetis? cui Rex: Ego ſum Attila flagellum Dei. Quò contra humilis Præſul gemens, & ego ſum, inquit, Lupus, heu vaſtator gregis Dei, & dignus nimium flagello Dei. Mox B. Lupus portas aperit, intrant hoſtes, ſed mirum dictu, diitùs cæcati à portâ ad portam tranſeunt, neminem aut videntes, aut lædentes.* Hæc Robertus, cui (quod ad Veſontionis

euerſionem attinet) ſuffragatur Bonfinius rer. Hungaric. dec.1, lib.4, & Nicolaus Olahus Archiepiſcopus Strigonienſis in ſuo *Attila*, de quo hæc habet cap. 4: P*oſthac* (Attila) *traiecto Rheno, per Tulingos, Æduos, & Sequanos, qui noſtrâ ætate Burgundi dicuntur, exercitum ductat, Gundicarium eorum Regem iam tum magnis viribus ſe Aëtio, & Theodorico coniungere volentem, cum omnibus ſuis copiis iuſto conflictu interficit, delétque. Quâ partâ inſigni victoriâ, multas Sequanorum, & Galliæ munitas vrbes, opibus, viribúſque præſtantes (inter quas Lixouium, Beſontionem, Matiſconem, Lugdunum, Cabilonem, & Lingonum vrbem memorant) funditus euertit.* Porrò immitis, & crudus ille Barbarus non ſolùm ſæuitiem ſuam, ac ferocitatem quacúmque licuit, exercuit, ſed etiam immanitatis ſuæ monumenta fabricatus eſt, quò poſteritati tanta barbaries innoteſceret. Exſtant enim nummi argentei, quos ille cudi iuſſit, victoriarum ſuarum, vel meliùs ſtragũ poſteris funeſta ſigna: duos aſſeruo hic effoſſós, aliquantum tamen diuerſos cum victoriæ ſymbolo, & vocabulo *ATEVLA*, germano (vt probabiliſſimum eſt) Attilæ nomine, ſecundum barbaram appellationem; quam deinde cultiores Romani, & Celtæ lenierunt, Attilam nuncupantes, ſicut ipſimet olim Romani *Syllam* pro SVLLA dixerunt.

Tunc



Tunc igitur Veſontio, quæ fuerat æuo Iulij Cæſaris Dubi flumine circumſcripta, & ſub Antoninis vltrà pontem ampliata; mox paulò antè Iuliani tempora per Alemannos diruta, poſteáque refecta; iterum per Attilam euerſa eſt, ac ſolo monte Cœlio definita; vnde *Portam Nigram* veteris Vrbis aliquando fuiſſe portam verè dixit Belleforeſtius in Coſmographiâ. Deinde à monte Cælio vſque paulò ſuprà Ciuicam domum Ciuitas muris fuit circummunita, quorum adhuc ſuperſunt veſtigia, in quibuſdam ædibus magni vici, maſſæ inquam, & veterum maceriarum acerui (*Ganelones* vocant) adeò compacti, vt vix lapis à lapide ſeparari queat. Hinc veteres commentarij, *Ædes S. Laurentij in ſyluis, Sancti Petri, & S. Pauli in ſuburbiis* erectas dicunt: Sæculis ſequentibus antiquæ ſuæ magnitudini paulatim cœpit reſtitui; nunc eadem eſt amplitudine, quâ ſub Antoninis.

VESONTIO SVB FRANCIS Imperatoribus: eius ad Imperium Germanicum tranſitus. Nuptiæ Henrici II Imperatoris Veſontione celebratæ.

CAPVT LI.

POST Attilæ Regis *in concuſſionem Orbis in mundo nati* (vt ait Theophanes miſcell. lib. 15.) barbaram incurſionem, aliquandiu deſerta remanſit noſtra Veſontio, vſque ad Sanctorum Archipræſulum Nicetij, Protadij, Claudij, & Donati tempora, quibus ad priſtinum ſplendorem ſenſim reduci occœpit; florentiſſima tandem æuo Caroli Magni Occidentalis Imperij reſtitutoris, Romæ per Leonem tertium ſummum
800. Pontificem coronati anno Chriſti 800: cui fuiſſe chariſſimam indè colligitur, quòd partem theſauri ſui, cum aliis viginti Ciuitatibus Imperij ſui Metropolitanis, ei teſtamento largitus ſit. Nomina Ciuitatum hoc ordine recenſet Eginarthus in vitâ ipſius: *Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulij, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Viuanum, Rhotomagus, Treuiri, Senones, Veſontium, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarentaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges.*

Caroli Magni ſucceſſor *Ludouicus Pius* cum Iura per Imperium ſuum labaſcere cognouiſſet (anno ſecun

ſecundum Baronium 819,) ad præcipuas ciuitates legatos miſit (*miſſos* ideò & *Dominicos* appellatos) qui Populi querelas audirent, & Ius vnicuique tribui curarent. Veſontio primum inter illas Metropoles ordinem obtinet in Capitulis Regum Franciæ ab Anſegiſo Abbate Lobienſi, indéque Senonum Archiepiſcopo, atque à Benedicto Leuitâ collectis, lib. 2, c.25, & apud Belleforeſtium hiſt. Franc. lib. 2, c. 26. 819.

Multa poſthàc Veſontio accepit beneficia à Lothario, Carolo Caluo, & aliis Imperatoribus è Carlingorum ſtirpe: quæ cùm defeciſſet in *Ludouico IV* anno 904 ſine liberis vitâ functo, *Occidentale Imperium* ad Germanos delatum eſt: *Otho* enim *Magnus Saxoniæ Dux* anno 962, à *Ioanne* duodecimo Papâ, Romæ Imperator vnctus eſt: poſt quem *Otho ſecundus* eius filius anno 973 cœpit Imperare: tum *Otho tertius* anno 996: mox *Henricus Rex Germaniæ* anno Chriſti 1014, à *Benedicto Romano Pontifice* Romæ coronatus eſt Imperator. 904. 962. 973. 996. 1014.

Cùm hæc fieri viderent Ciuitates quædam in Galliis, quæ non ſeruiebant, ſed tantùm certis conditionibus agnoſcebant Francos, de quarum numero præcipua fuit Arelas cum circumiacentibus oppidis, Geneua ad lacum Lemanum, in Sequanis Veſontio, Tullum in Leucis, in Neruiis Tornacum, & ſimiles, ad Germanicum Imperium reſpicere cæperunt, ſic ſuæ libertatis compotes permanſuræ: Nam compluſculæ ciuitates Romanis Præfectis vſæ, Viſigothis, & Burgundionibus pertinaciſſimè reſtiterunt, vt boni conſulerent Barbari, quod certis pactis, & conditionibus haberent obnoxias.

Hæc Rhenanus rerum Germanic. lib. 2, cum quo veteres Ciuium tabulæ conſentiunt.

1043. Anno 1043 *Hĕricus* huius nominis ſecūdus Imperator,& tertius Rex Germaniæ Veſontione iunctus eſt Agneti filiæ Guillelmi Ducis Pictauorum, vt autor eſt Glaber: fuit autem hæc *Agnes* Auguſta mater Henrici tertij Imperatoris,quarti Regis Germaniæ, & Burgundionum, qui petiturus Italiam, vt cum
1076. Summo Pontifice de pace tranſigeret, anno 1076 Veſontione tranſiuit, vbi natalem Domini celebrauit: *ex Laurentio Schnaburgenſi,in Chronico; & Belleforeſtio hiſtor. Franc. lib. 3, cap. 25.*

CONVENTVS SOLEMNES duo per Fridericum I Imper. Veſontione indicti.

CAPVT LII.

1156. ANNO Chriſti 1156 Fridericus primus Imperator, cognomento Ahenobarbus, repudiatâ priori legitimâ vxore apud Conſtantiam, *Beatricem*, (quam malè Dodechinus in Chronico *Agnetem* vocat) vxorem duxit, filiam *Reinaldi* Comitis Burgundiæ, quem Abbas Vſpergenſis, Vignerius, & alij *Comitem Biſontinum* perperàm dixerunt. Dies obitus Beatricis, (qui contigit anno 1184, *ex Chronicâ Auguſtenſi*) ſic notatur in veteri

teri S. Stephani Biſontini necrologio: *Decimo ſeptimo Cal. Decembris, obiit Beatrix Imperatrix, quæ inſtituit duos Capellanos ad altare S. Georgij, pro cuius animâ Fridericus Imperator dedit Eccleſiæ S. Stephani, villam, quæ dicitur Villa noua.*

Anno ſequenti 1157, Curiam apud Veſontionem liberam & Imperialem Ciuitatem celebrauit Fridericus, de quâ Radeuicus Friſingenſis in appendice ad Othonem Friſingenſem lib.1, cap.8: *Menſe Octobris mediante Imperator apud Biſuntium Curiam celebraturus, in Burgundiam iter aggreditur: Eſt autem Biſuntium vna Metropoleos eius tertiæ partis, in quas Imperator glorioſus Carolus Magnus, ſuum inter tres filios ſuos omnes regio nomine gaudentes, diuiſit Imperium, ſita ſuper amnem Touba: In quâ Ciuitate penè omnibus Proceribus terræ illius adunatis, multis quoque exterarum gentium vtpotè Romanis, Apulis, Tuſcis, Venetis, Italis, Francis, Anglis, & Hiſpanis, per legatos ſuos Imperatoris aduentum præſtolantibus, feſtiuiſſimo apparatu, & ſolemni fauore excipitur. Tota ſiquidem terra eumdem fortiſſimum cognoſcens, & clementiſſimum, amore pariter, & timore permixto, nouis illum faſcibus honorare, nouis laudibus attollere ſatagebat,* &c. 1157.

Tunc ad Fridericum Biſuntij exiſtentem literas miſit *Hadrianus* Papa IV per *Rolandum* tituli ſancti Marci Preſbyterum Cardinalem, & Cancellarium S. Romanæ Eccleſiæ (qui poſteà *Alexander III* Papa) & *Bernardum* S. Clementis tunc Preſbyterum Cardinalem; quibus publicè recitatis, magnâ principes omnes indignatione commoti ſunt, & Fridericus

ricus ipſe dimiſſis quamprimùm Legatis, adiecto mandato, ne hàc vel illàc in territoriis Epiſcoporum, ſeu Abbatum vagarentur, ſed rectâ viâ ad Vrbem reuerterentur, circularem epiſtolam contra Pontificem dedit: *Cùm*, inquit, *nuper in Curiâ Biſuntij eſſemus, & de honore Imperij, & ſalute Eccleſiarum debitâ ſollicitudine tractaremus, venerunt Legati Apoſtolici*, &c. Has, & Hadriani literas ex Radeuico lib. 1, c. 9, & 10, deſcribit Baronius eodem anno 1157; qui
1160. poſteà anno 1160, ex epiſtolâ Alexandri III ad Arnulphum Lexouienſem Epiſcopum, de rebus in Papienſi Conciliabulo geſtis, de Friderico ſic loquitur: *Ac tempore ſiquidem anteceſſoris noſtri piæ recordationis Hadriani Papæ, & ab exordio dignitatis ſuæ, cœpit Sanctam Romanam Eccleſiam tanquam tyrannus opprimere, & non mediocriter infeſtare; Archiepiſcopos namque, & Epiſcopos à ſede Apoſtolicâ redeuntes, in ignominiam, & detrimentum Eccleſiæ plerumque capi turpiter, & inhoneſtè præcepit, eóſque fecit carceris cuſtodiæ mancipari. Nos quoque in minori officio conſtitutos, qui cum venerabili fratre noſtro B. nunc Portuenſi Epiſcopo ad eum ſuimus delegati, qualiter apud Biſuntium ipſe tractauerit, & quàm indignè exceperit, non opus eſt nos in præſenti referre, quia credimus te idipſum plenariè cognouiſſe.* Rem illam totam expreſſit carmine Guntherus Ligurinus lib. 6, vbi ſic incipit:

Inde viro placuit dotalia coniugis arua,
Allobrogúmque domos motis inuiſere caſtris:
Cuius vt aduentum præcurrens fama per vrbes
Diſtulit,

Diſtulit, & rerum præconia magna peregit :
Protinus Allobrogum Proceres, multique potentes
Italici, Veneti, Tuſci ſimul, atque Latini,
Vaſcones, Hiſpani, ſeu quos Prouincia diues
Miſit, & Allobrogum contingens Gallia fines,
Chryſopolim celeres adeunt, ibi Regia caſtra,
Teutonicáſque Ducum placet exſpectare cateruas.
Huc quoque Romano celebres à Præſule miſſi
Legati venêre duo, Bernardus, & ille
Qui poſt in cathedrâ Rolandus, nomine verſo
Dictus Alexander, multos, magnóſque tumultus
Pertulit, Eccleſiæ cuius ſub tempore longum
Schiſma quater ſenos exarſit penè per annos, &c.

Exſtat in Xyſto læuo Bibliothecæ Floriacenſis per Ioannem à Boſco Celeſtinum Lugdunenſem, diploma Friderici Imperatoris in fauorem Eccleſiæ Viennenſis ſub Stephano Viennenſi Archipræſule confectum, cuius hæc eſt ſubſcriptio : *Data Biſuntij VI. Cal. Nouembris, Indict. V. Anno Dom. Incarn.* CIƆ CLVII, 1157. *regnante D. Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno regni eius VI. Imperij verò III. Recognita per Reinaldum Cancellarium, vice Stephani Viennenſis Archiepiſcopi, & Archicancellarij. Teſtibus Humberto Biſuntinenſi, & Petro Tarentaſienſi Archiepiſcopis : Guilelmo Nouarienſi, Alberto Tridentino, & Vdarico Taruiſino Epiſcopis : Ducibus Bertolſo de Ceruigen, Matthæo Lotharingiæ : & Othone Palatino Comite de Vvitelmeſbach.*

Eodẽ anno 1157, *Gaufridus* Epiſcopus Auenionenſis accepit à Friderico Imperatore anno eius Imperij 1157.

tertio *Bittoricam agellum*, & alia quædam, dato Biſuntij diplomate, quod ſeruatur in Archiuo Auenionenſi. Tunc Veſontione Fridericus decreuit ſuas de Feudis leges nouas, & cõſtitutionem de pace publicâ, necnon de ſcholis Iuris, & earum priuilegiis, quæ poſteà Roncaliis in Italiâ edixit; *ex Franciſco Balduino in notis ad Eumenij Rhetoris orationem.*

1162. Anno 1162, vel 1163, durante ſchiſmate inter Ale-
1163. xandrum III, & Victorem Pontifices, Fridericus Victoris fautor, alterum Conuentum Veſontione indixit, de quo Albertus Crantzius lib. 6 Saxoniæ, cap. 18: *Sategit Imperator, vt Victorem ſuum ſuſtineret, & Alexandrum Pontificatu detruderet: Quapropter Biſuntij in Imperiali Burgundiâ vetuſtiſſimâ vrbe, quæ olim Veſontium dicebatur, iam tum florens cùm C. Cæſar Gallias decennio adminiſtraret: hîc quod videretur eſſe quodam in medio Chriſtianorum Regum Hiſpaniæ, Franciæ, Britanniæ, omnibus maioribus Chriſtianiſmi euocatis Principibus, ſollemnem indixit Conuentum, vt de Pontifice vno ſtatuatur, auferatúrque de medio Schiſma. Contempsêre euocationem illam Reges Hiſpaniarum, atque Angliæ: Franciæ verò Rex (*Ludouicus, *) quòd quidam ſuorum* (Henricus Comes Campaniæ) *iuraſſet Regem venturum, venit quidem nocte, & in flumine vrbis mœnia contingente manus lauit, atque retro abiit, exſecratus conciliabulum, quod non Spiritus Sanctus indixit: quippè de ſummâ Eccleſiæ poteſtate conſtituere non ſæcularium eſt Principum, ſed ſacrorum Pontificũ.* Vide chronic. Alberti Abb. Staẽdſis, anno 1163.

Quod verò bis indicauit Goluſius, ὀκνηρῶς quidem

lib. 1,

lib.1, c.26, in Ebrardo Archiepiſcopo; & lib. 6, cap. 28, ſub alio quodam Archipræſule Conrado, Ciues Biſontinos æternùm liberos & immunes, olim Caduco fuiſſe obnoxios, ídque Ius à Friderico I ſublatum, anno Imperij ſui 25; merum ſomnium eſt, quod inuidi quidam Goluſio paulò creduliori impoſuerunt, Monumentis ſuis à variis hinc inde habitis inſerendum. Anno enim prænotato, (qui eſt Chriſti 1179:) nullus illorum nominum Veſontione ſedebat Archiepiſcopus; agebátque in Italiâ Fridericus occupatiſſimus in pace cum Alexandro III firmandâ (vt habetur tomo 3 Conciliorum, in Concilio Veneto;) non autem in Territorio Baſilienſi vbi fictitium illud diploma editum fuiſſe quidam malè comminiſcuntur.

IOANNES COMES CABIlonenſis protector Ciuitatis Biſontinæ.

CAPVT LIII.

ILLE ſemper liberis Ciuitatibus & Rebuſpublicis, quæ per ſeipſas minùs valerent, mos fuit, potentioris alicuius principis fidei ſe credere, vel populi vicinioris amicitiæ ſe ſociare, quod priſcis temporibus Veſontio ſæpius factitauit; Anno enim 1224 *Ioannes Comes Cabilonenſis* ſuſcepit eius protectionem: Ex diplomate, quod ſequitur: 1224.

Sciant præſentes, & futuri, quod ego Ioannes Comes Cabilonenſis ſuſcepi in protectione meâ Ciuitatem Biſontinam & Ciues vniuerſos cum rebus eorum, vbicunque fuerint: addito etiam, quòd ſi Dominus Archiepiſcopus, vel Vicecomes, vel Villicus, eiuſdem Ciuitatis, vel quilibet alter aduersùs eos aliquam mouerit querelam, quandiu iuri ſtare voluerint in Curiâ Biſontinâ, infrà Ciuitatem conſilium, & auxilium meum fide datâ teneri conferre à proximo Paſchâ, vſque ad quatuor annos, ſub remuneratione centum librarum Stephanienſium annuatim mihi perſoluendarum. Si autem prædicti Ciues me pro ſuis vocauerint negotiis, in expenſis victualium, & ferraturis equorum, ad cognitionem quatuor Ciuium, mihi prouidere tenentur: & ſi me pro ipſis in expeditionem ire contigerit, & aliquod caſtrum obſidere, vel munitionem aliquam, in expenſis, & ferraturis quandiu fuero in obſidione, mihi vt ſuprà dictum eſt tenentur prouidere; in eundo, & redeundo, non tenentur: ſi autem ego, vel mei, aliquod damnum alicui intulerimus, dictis Ciuibus garantiam teneor ferre: Et ſi iam dicti Ciues aliquod intulerint, ſi opus fuerit, in Curiam Biſontinam, vel ad cognitionem quatuor Ciuium debent emendare, vel iuri ſtare. Præterea ſi aliquid lucrati fuerimus in prædis, vel ſpoliis, medietas cedet mihi, & alia Ciuibus: Et ſi caſtrum, vel munitiones, vel tales perſonas ceperimus, de quibus pax valeat tractari, debent reſeruari vſque ad pacem ſi fieri poteſt, vel deſtrui, vel redimi ad cognitionem quatuor Ciuium. Et ſi redemptio facta fuerit, per medium diuidetur. Si verò Ciues pacem fecerint, meam pacem cum ſuâ debent facere, ad conſiderationem quatuor Ciuium.

Ciuium. Et ſi de ſupradictis in aliquo reſilirem, quod abſit, ego infrà Ciuitatem Biſontinam oſtagium datâ fide tenerem, donec ad cognitionem quatuor Ciuium foret emendatum: & ſi non tenerem, Gerardus Dominus de Durnes, Guilelmus miles de Poiſſuel, & Dominus Philippus de Abens, & Dominus Simon de Memiré, & Dominus Vilelmus de Chaſtaillon, & alij plures, oſtagium fide datâ tenerent. In huius rei teſtimonium præſentem paginam ſigillo meo feci roborari. Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo viceſimo quarto, menſe Septembri. Ex Autographo, 1224.
cui ſigillũ appenſum eſt cum figurâ equeſtri enſem habente in manu, & circâ: SIGILLVM IOAN. COMITIS CABILON.

Guilelmus Dominus *de Aſpero monte*, ſcripto ſeſe obſtrinxit Gubernatoribus Biſontinis anno 1224. 1224.
præbendi auxilium Ciuitati, quoties cum Archiepiſcopo litem, vel bellum haberent. *Ex Archiuo publico.*

Iterũ Ioannes Comes Cabilonẽſis promiſit Ciuibus Biſontinis, ſe, quoties vellent, ipſos in caſtro ſuo *de Acido monte* recepturum, facturúmque ne propter illud damnum vllum perciperent. *Ex inſtrumento anni* 1225. 1225.

ALPHONSI, ET RICHARdi Regum Romanorum ad Ciues Biſontinos epiſtolæ.

CAPVT LIV.

Vniuerſis Ciuibus Biſontinis, Pro Rege.

ALPHONSVS Dei gratia Romanorũ Rex, ſemper Auguſtus, & Caſtellæ, Toleti, Regionum Gallic. Sibil. Cordubæ, Murc. Giennij, & Algarbij Rex, Nobilibus viris vniuerſis Ciuibus Biſontinis dilectis fidelibus ſuis, gratiam ſuam, & bonam voluntatem. Grata ſunt quamplurimùm accepta ſeruitia in conſpectu noſtri culminis, quæ nobis per veſtras literas obtuliſtis, per quas fidelitatis veſtræ conſtantiam, & feruorem veſtri deſiderij, quod geritis circà promotionem noſtri nominis ſtudioſum perpendimus manifeſto; propter quod vobis dignas gratias referentes, vos proponimus proſequi ſpecialitate gratiæ, & honoris. Cæterum ne mora noſtri aduentus tam diutina vos perturbet, vobis notum facimus per præſentes, quòd cùm eſſemus in procinctu itineris ad partes Imperij, vt Romani Principis decet honorem, magnificè veniendi, conſilium noſtrorum Prælatorum, & Procerum, quos ad noſtram Curiam apud Toletum conuocare fecimus, fuit tale, vt noſtros ſollemnes nuncios, videlicet Inclytũ Dominum Emmanuelem chariſſimum fratrem noſtrum, & venerabilem Epiſcopum Segobienſem, ac alios viros nobiles, fide dignos,

dignos, ad Romanam Curiam mitteremus ſupplicaturos ſummo Pontifici, vt nobis aſſignet terminum, ad recipiendum Imperij Diadema, & tunc in aduentu eorumdem proponimus partes Imperij Romani potenti, & virtuoſo brachio viſitare. Deuotionem ergo veſtram monemus attentiùs, & hortamur quatenus circa noſtra, & Imperij ſeruitia de modo in melius procedendo, conſtanter, ac fideliter perſiſtatis, vt in aduentu noſtro vos dignis retributionibus proſequamur. Super facto verò Ducis Burgundiæ, pro quo nobis veſtras literas deſtinaſtis, noueritis quòd eidem Duci ſcripſimus, diſtrictè mandantes, vt nullo modo vos inquietare debeat, nec grauarè, nec aliquam in rebus veſtris iniuriam irrogare, alioquin indignationem incurreret Regiæ noſtræ maieſtatis. Data Toleti, Rege per Fernand. Roderici, Abbatem Cauerubenſ. eius Not. imperant. XV Kal. Nouembr. Indictione III. Petrus Stephani ſcripſit anno Domini M CC XXIX. 1229.

Sigillum maximum huic epiſtolæ in chartâ pergamenâ ſcriptæ eſt appenſum, vbi Imperatoris ſedentis, cum ſceptro, & globo effigies.

Richardus Romanorum Rex per epiſtolam ad Ciues Biſontinos, datam 18 Maij, anni 1260, declarat 1260.
Ciuitatem Biſontinam nullatenus teneri admittere *Vicarium Imperij*, nec vllâ ratione poſſe ab Imperio ſeparari. *Ex Autographo.*

HVGO

HVGO DVX BVRGVNDIÆ Biſontinis Fœderatus.

CAPVT LV.

1261. DIE Veneris ante feſtum S. Mariæ Magdalenes, anni 1261, *Hugo Dux Burgundiæ* compoſuit diſcordiam quādam, quæ erat inter Ciues Biſontinos & *Girardum Dominum de Arguelo*, pro damno illato tempore belli præteriti habitatoribus pagi *Fontain.* Ex inſtrumento.

Idem Hugo accepit in protectione ſuâ Ciues Biſontinos; ex tabulis datis anno Domini 1264, die
1264. Mercurij ante Paſcha, quibus pollicetur ſe pro rebus Biſontinorum, quæuis caſtra, & atces propriis expenſis obſeſſurum, modo Accipitrem Stellarem vnum, vulgò *vn Autour*, ei quotannis pro dono deferre teneantur: Ecce diploma de verbo ad verbum, ex autographo.

Nos Hugues Dux de Bourgoingne, faiſons ſçauoir à tos cex qui verront cex latres, que nos auons prins en noſtre garde, & en noſtre conduict la Cité de Beſençon, *la franchiſe, & tos les Citains d'icelle Cité, les grans, & les petits, les poures, & les riches, tos enſemble, & chacun par ſoi, lor, & lor choſes, dedans la Cité & dehors, iuſques à quinze ans prochenement à aduenir, & les dauons garder, & ſauer loyalement, & en bonne fei, & ſumes tenu de recourer, & faire addreſſier les tors faiz, que lon lor feroit, auez ceſ.es, tant qu'il*

qu'ilz vodront faire droit par lor Iuſtiſes, ou par noz, ou par noſtre commendement dedens la Cité de Beſençon, & ſi enſi ne auenoit, que ne pehuiſſions faire addreſſie les tors fais, que on lour feroit, ſens aſſegier Chaſteal, forterace, ou atre lieu, ou ſens faire guerre: & ils de ce noz requeroient, noz ſerions tenus de faire a nos coſtes, & ils es lor. Et encor ſumes tenu de recetter lor & lor choſes par noz chaſtealx, & par tote noſtre terre: Et ceilx citayns au ſuiuant ſont tenus noz & noz gens recetter dedens la Cité de Beſençon, totes les fois que noz vodriens venir en la Cité, ou la terre, per lor requeſte, per lor beſognes de laditte Cité, ou des Citayns. Et par cex conuenances ils ſont tenuz a noz de rendre, & de donner chaſcun an vn Oiſtour: & cex choſes totes deuent dites, en bonne fei, noz & leſditz Citayns auons promis tenir & guerder, ſalue la raiſon, & la droicture de l'Empire, & par noſtre ſeremẽt doné ſor ſainctes Euangiles. En teſmoignage de cex choſes nox en auons doné cex preſentes lattres ſaellees de noſtre ſeel. Ce fut faict en lan de grace mil deux cent ſoixante & quatre, le Mecredy apres Paſ- 1264.
ques.

Eodem anno 1264, in vigiliâ Aſcenſionis, *Odo* 1264.
Comes Niuernenſis Ducis Hugonis filius eamdem fidem præſtitit abſente, vel deficiente patre. *Ex inſtrumento.*

BELLA BISONTINORVM cum Dominis de Ruffeio, & de Arguelo.

CAPVT LVI.

1270 ANNO Domini 1270, Ciues Biſontini pro conſeruatione quorūdam priuilegiorū, *Domino de Ruffæio* bellum indicunt, quo anno cum Ioanne Cabilonenſi fœdus ideò faciunt, per quod ſibi ad inuicem omne auxilium militare pollicentur, ſaluo Imperij, & Ciuitatis antiquo iure. *Ex Archiuo publico.*

1273 Anno 1273, Dominum de Arguelo Biſontini acriter bello perſequuti ſunt, in quo putamus occubuiſſe *Othonem de Bernâ*, & *Ioannem Grauie* Ciues Biſontinos, ſepultos in Eccleſiâ fratrum Minorum Biſont. cum ſequentibus Epigraphis. Prima eſt in imâ naui, talis:

ANNO DOMINI M CC LXXIII. VI. KAL. MAII. INTERFECTVS FVIT OTHO DE BERNA CIVIS BISONTINVS PRO LIBERTATE CIVITATIS BISONTINÆ GERENDO IPSIVS NEGOTIA, ANIMA EIVS REQVIESCAT IN PACE, AMEN.

Altera in Clauſtro, ſic:

ANNO

ANNO DOMINI M CCLXXIII. VI. KAL. MAII INTERFECTVS FVIT IOANNES GRAVIE CIVIS BISONTINVS, PRO LIBERTATE CIVITATIS BISONTINÆ GERENDO IPSIVS NEGOTIA, ANIMA EIVS REQVIESCAT IN PACE, AMEN.

Bellum proximè dictum, anno 1276 inſtauratur, 1276.
quo Guilelmus, Perrinus, & Guido *d'Euan* milites à Biſontinis capti, & certis cõditionibus dimiſſi ſunt. *Ex Diario Publico.*

OTHO COMES BVRGVNdiæ protector Ciuitatis Biſontinæ.

CAPVT LVII.

OTHO Comes Burgundiæ, & Ciues Biſontini anno 1277 conuenerunt pro Veſontionis Aduocatiâ, ſeu protectione. Iterum anno Dominicæ Incarnat. 1279, ex ſequenti diplomate.

Noz Othes Cuens Palatin de Borgoigne, & Sire de Salins faiſons ſcauoir a tous cex, qui verront & orront ces preſentes lattres, que noz conoſſons, & voirs eſt, que noz primes, & voirs eſt, en noſtre garde, l'an de l'Incarnation de noſtre Seigneur 1277, la Cité de Beſençon, & les gens 1277.
de ladìtte Cité totes, & leurs choſes totes, & lor biens tout enſemble, & chacun par ſoy, dans la Cité de Beſençon, & defuors contre toutes gens, ſaufs la feauté de l'Em-

pire par droit faſans en la Cite de Beſençon, & banlieu de Beſençon, la ou ils ont accouſtumé, & nos lattres leur promis de donner, laquelle garde nous leur declarons en telle menere, que ſe ainſi eſtoit, que acuns preiſt les Citayns de Beſençon, ou acuns de lor, ou de lor choſes, ou de lours biens, Noz lidiz Cuens a la requeſte deſditz Cityens les deuons requerre comme noz choſes propres. Et s'ainſi eſtoit que acũs dans l'Archeueſchie ou de l'Archeueſchie de Beſençon ne voloit rendre ou recroire par droit faiçant, ainſi comme il eſt deſſus dit, noz lou dauons contrere à ce faire. Et ſe ainſi eſtoit que lon ne peut le tort faict, faire addrecier, ſens aſſaigier Chaſté, ou maiſon forte, ou faire guerre, & ils de çou noz requeroient, noz ſumes tenus de l'aſſaigier, ou de faire guerre de tote noſtre force, & de tout noſtre pohoir, & à noz propres deſpens, & a leur requeſte. Autrement noz & ilz auſſi ſont tenus de mantenir lou ſeige, & la guerre auec noz, ou auec les noz, de toute lor force & tout lor pohoir, en bonne foy & a lor propres deſpens, ſau que laditte Cité de Beſençon demoroit bien garnie, & porront, & doient lidiz Cityens recetter en noſtre terre la ou ils vodront, & quand lidiz Cityens voudront ariers reperrier à Beſençon, noz les dauons condure, ſi meſtier lour eſt, iuſques dans la Cité de Beſençon. Totes ces choſes, & ces conuenances deſſus dittes par ainſi comme elles ſont deuiſees & eſcrites, & chaſcune per li, Noz lidit Cuens promettons par noſtre ſerement doné, & faict ſor ſainctes Euangiles tenir & garder en bonne foy fermement à ladite Cité, & eſditz Cityens. Et cex choſes cy deuant eſcrites doiuent durer toute noſtre vie. Et pource que cex choſes ſoient plus certaines, Noz li deuant dit Cuens de

Bourgoigne

Bourgoigne auons mis noſtre ſeel en ces preſentes latres, Donnees à Beſençon lou Vendredy deuāt noſtre Dame de Mars, l'an de l'Incarnation noſtre Seigneur corrant par mil deux cent ſeptante & neuf. Sigillo figura equeſtris impreſſa 1279.
eſt, cum hiſce verbis: *Signum Othonis Com. Palatini Burgundiæ, Domini Salinenſis.*

RVDOLPHI PRIMI CÆSARis tres ad Ciues Biſontinos Epiſtolæ.

CAPVT LVIII.

Prudentibus Viris Magiſtro, Conſulibus, & Vniuerſis Ciuibus Biſontinis, Fidelibus noſtris dilectis.

RVDOLPHVS *Dei gratiâ Rom. Rex ſemper Auguſtus, Prudentibus viris Magiſtro, Conſulibus, & vniuerſis Ciuibus* Biſontinis, *fidelibus ſuis dilectis, gratiam ſuam, & omne bonum. Fidei veſtræ conſtantiam illibatæ, quam vos erga nos, & Imperium gerere cognouimus ab experto, dignis laudum præconiis attollentes, vobis ad augmentum congaudij intimamus, quod Principatibus Miſnenſi Orientali, & Thuringiæ noſtro Imperio triumphaliter applicatis, per quos potentia Imperij noſcitur non modicum dilatata, in aliis Reip. negotiis perſequendis, liberè poterimus annuente Domino conuertere*

curas noſtras. Sanè quia ſicut ad culminis noſtri peruenit notitiam, Rex Franciæ fermento perſuaſionis ſuæ, ſinceritatem fidei veſtræ molitur corrumpere, vos à fidei noſtræ, & Imperij debito auertendo, & ſeruitio ſui ſæcularis Dominij accreſcendo. Attentione quâ poſſumus vos hortamur, quatenus à talibus perſuaſionibus auditum, & animum auertatis, ſicut & iugum ſeruitutis perpetuæ volueritis euitare, & noſtræ indignationis offenſam, qui exinde ad priuationem libertatũ veſtrarum procedere, ac aliás in exterminium veſtrum molimina noſtra de conſilio Principum noſtrorum conuertere cogeremur. Porrò conuocatis Principibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis fidelibus Imperij, in feſto S. *Ioã.* Baptiſtæ *ſuper præmiſſis, & aliis, ſtatum Reipub. tangentibus Generale Parlamentum apud Frankenfurt ediximus celebrandum, cui nuncios veſtros petimus attentius intereſſe. Placet tamen vt ante ipſum terminum vos, & alij Domini, ac fideles noſtri* Burgundiæ, *veſtros ad nos iuxta partes Rheni, vbi ſtatim erimus, nuncios deſtinetis, qui de proceſſibus noſtris vos valeant pleniùs informare, & à quibus nos ſtatum illarum partium poſſimus latius experiri. Datum in Al-*
1277. *demburg VI. Idus Aprilis, Regni noſtri anno quarto.*

Vniuerſitati Ciuium Biſontinorum, Fidelibus noſtris dilectis.

RVDOLPHVS Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Prudentibus viris Vniuerſitati Ciuium Biſontinorum, *dilectis ſuis fidelibus gratiam ſuam, & omne bonum.*

Licet

Licet ab Imperio longè ſitis ſepoſiti, Nos tamen vos inter intimos, & præcipuos fideles eiuſdem Imperij computare volentes, fidelitati veſtræ ad gaudium nunciamus, quod per gratiam Altiſſimi, corporeâ ſoſpitate vigemus, negotiis noſtris vndique proſperantibus iuxta votum. Cæterum cùm nos pro honeſto viro Cantore Lucebacenſi Capellano noſtro dilecto, Capitulo Biſontino, primarias porreximus preces noſtras, fidelitatem veſtram, de quâ plenè confidimus, rogamus pleniſſimo ex affectu, quatenus eidem Capellano noſtro, immò nobis, & Imperio, apud idem Capitulum, veſtri fauoris, & promotionis auxilium taliter impendatis, quòd prædictus Capellanus noſter veſtro fauore promotus ſuæ intentionis propoſitum conſequatur, ac nobis laudabilis, & approbata conſuetudo Imperij conſeruetur illæſa. Proinde vobis rem. volumus ad merita gratiarum. Datum in Caſtro noſtro Saneєke XIIII Kalen. Septemb. Regni noſtri anno nono. 1282.

Prudentibus viris Conſulibus & vniuerſis Ciuibus Biſontinis, Fidelibus noſtris dilectis.

RVDOLPHVS Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Prudentibus viris Conſulibus, & Vniuerſis Ciuibus Biſ*ontinis fidelibus ſuis dilectis gratiam ſuam, & omne bonum. Fidelitatis veſtræ memoriæ reuocamus, qualiter nuper pro abſolutione Nobilis viri Iacobi de Grandiſono, qui contra pacis generalis obſeruantiam, in grauis captiuitatis ergaſtulo detinetur, vobis preces noſtras direximus cum effectu. Verùm cùm idem Iacobus,*

noſter

noſter fidelis., & Imperij, qui ſe paratum exhibet ſtare iuri, nondum ſit reſtitutus priſtinæ libertati, fidelitatem veſtram, de quâ plenè confidimus, iteratè requirimus, & rogamus, ſeriosè mandantes, quatenus pro noſtrâ, & Imperij Romani reuerentiâ, noſtraque dilectionis intuitu, ad hoc diligentiæ veſtræ ſtudia applicare velitis, vt idē indempnis à captiuitate præmiſſâ abire liberè permittatur, vt perinde vniuerſis & ſingulis promptius intendamus, quæ veſtri honoris, & commodi reſpiciunt incrementa. Datum in caſtris ante Pr̄niacum
1284. *XII. Kal. Ian. Regni noſtri anno vndecimo.* Ex Autographis.

Obiter hic eſt aduertendum, quibus titulis Ciues Biſontinos Rudolphus appellarit, pro Ordinum diſtinctione: quia per *Magiſtrum*, Præſidem temporaneum, ſeu hebdomadarium, vnum ex XIIIIviris Gubernatoribus; per *Conſules*, Rectores, ſeu Gubernatores; per *Ciues*, reliquos Magiſtratus, & plebem intelligit: quandò verò de ſolâ *Ciuium Vniuerſitate* loquitur, id comprehendit, quòd olim per *Populum* Romani, nempe omnium ordinum ſimul ſumptorum quamdam aggregationem. Reliqui ferè deinceps Imperatores Auguſtiſſimi, dum ad Biſontinos ſcripſerunt, his titulis vt plurimum vſi ſunt: *Honorabilibus, Prudentibus, noſtris & Imperij ſacri fidelibus dilectis Gubernatoribus, & Magiſtratui Ciuitatis noſtræ Imperialis Biſontinæ.* Quæ omnia cum prioribus idem ſonant, & in quibus tamen Cæſarum in nos amoris argumenta deprehenduntur.

RVDOLPHVS PRIMVS *Imperator Veſontionem obſidet.*

CAPVT LIX.

ANNO 1288, *Petrus Baſilienſis Epiſcopus* in *Theobaldum Ferretarum Principem* bellum inſtituit: huic Burgundiæ, & Montiſbelicardi Comites cum Ciuitate Biſontinâ copias auxiliares præbent: prælium committitur: *Richardus de Ocellâ* Eques Præfectus præſidio Ciuitatis Biſontinæ, Burgundiones, aliique fortiter dimicant: Vincuntur Baſilienſes: quod ægerrimè ferens Rudolphus Imperator, qui *Petrum Epiſcopum* peculiari affectu proſequebatur, cladem eius vlturus cum ingentibus copiis in Burgundiam venit; oppidum Monſbelgartenſe occupat, inque ſibi & Imperio fideles Biſontinos arma conuertit. Veſontionis oppugnationem aggreditur anno Domini 1289, menſe Auguſti, in octauis Aſſumptionis; caſtra ponit ſecundùm radices montis dicti *Mandelier*, prope Brigillam ad Dubim. Lugere conditionem ſuam ciues, & miſerandum ſtatum Reip. quæ contra ſui Principis amicum certè talis neceſſitudinis ignara, arma ſumpſiſſet: quia tamen vrgebat præſens ira, ne vitam amitterent ipſius manu, cuius adiumento, & ſeruituti illam deuouerant, ad larium, & liberòrum tuitionem ſe accingunt, ac obluctantur inuiti. Interim dum pro

1288.

1289.

mœnibus fortiſſimè dimicant, Imperatoris ira, quæ primos motus habuerat violentos, commodùm reſedit: Nãque vbi ciues non minus fortes, quàm fidos expertus eſt, pertæſus talis belli, poſt octiduũ exercitum amouit, ignoſcens clientibus, quos conſcios primò iudicarat; dein inſcios beneuolentiæ ſuæ erga *Petrum* Epiſcopum abundè cognouit: Denique reduxit eos ſecum in priſtinam gratiam: Anno enim
1290. ſequenti 1290, Nonis Iunij, per ſuum procuratorem Ioannem *de Cabilone*, Dominum *de Arlato*, præteritorum oblitus illis vetera Imperij iura confirmauit diplomate, in quo ſigillatim recenſentur. *Ex Archiuo Ciuicæ domus, & antiquis Ciuium manuſcriptis.*

BISONTINORVM PACTA cum Hugone de Burgundia: huius cum Ioanne Cabilonenſi diſſidium.

CAPVT LX.

1290. ANNO 1290, mẽſe Ianuario *Hugo de Burgũdiâ* frater Othonis Comitis Palatini, omne bellicum auxilium Ciuibus Biſontinis pollicetur per inſtrumentum authenticum, cuius hæc ſunt verba in Archiuo Biſontino.

Noz Hugues de Bourgoigne Cheualier, faiſons ſçauoir à toz cex, qui verront & orront ces preſentes latres, que noz penſez, & conſiderez los ſeruices, & los honneurs, que noſtres Amez

Amez li Cityẽs de Beſençon ont faict à noz, & a noz deuanciers, & pour auoir à lor plus grãd grace & amor, auons promis & promettons en bonne foy, con gentilzhommes, aidier & conſeillier à noz deſpens les deuãt dits Cityens, & garder lor & lor choſes contre totes gens, droict façant par noz dãs laditte Cité, ou dans la banlieu, ſalue la feauté de noſtre Amé Seigneur & frere Othes Conte Palatin de Borgoigne, & Seigneur de Salins: ce ſau que ſi nous entrions en guerre à la requeſte deſdits Cityens, ilz nous doibuent droit faire au dit de deux Cityens de Beſençon, ou de deux de noſtre conſeil; & nous les deuons croire de ce qu'il en diroyent. En teſmougnage de laquelle choſe, nous li deuant dit Meſſire Hugues auons mis noſtre ſeel pendant en ces preſentes latres, que ſurent faictes, & donnees lou Diemenge deuant la S. Vincent, l'an courant M. C C. nonante, au mois de Ianuier. Sigillo Equeſtris figura impreſſa eſt. 1290.

Iterum *Hugo de Burgundiâ* ſtatuit ſe nullam pacem cum ſuis hoſtibus firmaturum, quin Biſontini eidem fœderi adſcriberentur. *Ex chartâ anni* 1291. 1291.

Idem *Hugo*, & *Ioannes de Cabilone* Dominus de Arlato anno 1293, grauiter inter ſe diſſentiunt pro *Vice-Comitatu*, & *Maioriâ*, Iuribus in Ciuitate Biſontinâ, quæ malè *Præfecturam vrbanã ciuitatis Biſontinæ* vocauit Nicolaus Vignerius in Chronico Burgũdionum; cum ſint iura quædam particularia, à quibus (ſicut etiam à *Regaliâ*) Ciues Biſontini, dum lubet lites ſuas ad Gubernatorum Senatũ deducunt, & ſupremum eorum iudicium poſtulant. Illa Vicecomitatus & Maioriæ iura dictus Ioannes de Cabilone accepe- 1293.

 rat

rat ab *Odone* Domino Montisferrandi,& ab *Humberto* Domino ClaræVallis in montibus. *ex Titulis.*

1295. Tertiò, Biſontini cum dicto Hugone conueniunt pro ſuæ Ciuitatis protectione ad quinquēnium,quo durante conceſſerūt ipſi, vt familiam vnam Longobardorum Veſontione habere poſſet,qui cābia inibi cum fœnore exercerent. *Ex inſtrumento anni 1295. die Mercurij poſt Lætare.*

MEMORABILIA SÆCVLIS XIII, & XIV.

CAPVT LXI.

1291. ANNO 1291,*Odo de Rubeo mōte* Archiepiſcopus Biſontinus, in ſummo Roſarū monte caſtrū excitauit,quod triduo, aut quatriduo poſt à Ciuibus dirutū eſt.Hinc iactantur à vulgo verſiculi quidam Gallici:

L'an mil trois cent, oſtes en neuf,
Sur Roſemont fut chaſteau neuf:
Ne paſſerent trois iours, ou quatre,
Que le chaſteau l'on fit abbatre.

Caſtrū illud ædificauerat *Odo* contra antiqua Ciuitatis priuilegia,quibus vetitum eſt, ne Archiepiſcopus,aut quiuis alius caſtrū aut arcem in territorio
1293. Biſontino conſtruere poſſit. Propterea anno 1293,die Mercurij poſt feſtum S.Georgij,tractatus interuenit inter dictum Odonem, & Ciues, quo declaratum eſt eos, pro deſtructione illius caſtri, nihil teneri Odoni

Odoni perſoluere. *Ex diplomatis.*

Kal.Maij eiuſdẽ anni 1293, *Humbertus* Dominus *de Rubeo mõte*, pro patruo ſuo D.Odone Archiepiſcopo promiſit Ciuibus fore, vt nullum caſtrum erigeretur ampliùs in territorio Biſontino. *Ex inſtrumento.* 1293.

Adolphus Imperator vetera iura Ciuitatis Imperialis Biſontinæ confirmauit diplomate dato apud Francofurtum decimo Kalen.Octobris 1296, in quo Veſontionem vocat, *Membrum Romani Imperij nobile, & ipſius ſacri Imperij Cameram principalem.* 1296.

Anno 1304, *Mathildis* Comitiſſa Arteſiæ, & Burgundiæ Palatina, Domina de Salinis, pro ſe, & filio *Roberto* Comite Burgundiæ tractauit cum Ciuibus Biſontinis de Veſontionis protectione, pro ſpatio annorum quindecim. *Ex diplomate* ſignato *G.de Caluo monte*, & ſigillis integerrimis dictæ Mathildis, ac Ciuitatis Biſontinæ munito. 1304.

Anno 1307, exorto bello inter Ioannẽ de Cabilone, Galtherũ de MonteBelicardo, ac Ciuitatem Biſontinam, Pax tandem eodem anno tractata eſt. Tempore huius diſſidij *Albertus* Imperator Biſontinis auxilium à ſe poſtulantibus ſic reſpondit; 1307.

Uniuerſis Ciuibus Biſontinis fidelibus noſtris dilectis.

ALBERTVS Dei gratia Romanorũ Rex, sẽper Auguſtus. Prudẽtibus viris Conſulibus, & vniuerſis Ciuibus Biſontinis, dilectis, fidelibus ſuis gratiã ſuam, & omne bonũ. Fidelitatis veſtræ puritatẽ, quã nobis & ſacro Imperio aſtringimini

rogamus, requirimus, & monemus attentè, quatenus in obſeruantiâ fidei præſtitâ nobis, & Imperio conſtantes, ac immobiles perſeuerantes, aduerſariis veſtris viriliter reſiſtatis, ſcientes procul dubio, quòd vias, & modos excogitabimus, quibus vobis, prout neceſſarium, & operæpretium fuerit, breuiter ſuccurratur. Datum in Caſtris apud Saltzach. 3. Kalen. Auguſti, Regni noſtri anno nono. Ex autographo.

1307. Eodem anno 1307, *Albertus* Imperator confirmauit priuilegia Ciuitatis Imperialis Biſontinæ, diplomate dato Spiræ, Nonis Maij, anni 1307, quo Theobaldus *de Harzemburg* pro Cæſare Biſontinorum fidem Veſontione accepit.

Henricus Imperator octauus Gubernatores Biſontinos literis ſuis ad conuentũ ſollemnem totius Imperij vocauit, & inuitauit, vt cum ſuis militaribus copiis ipſum in Italiam proficiſcentem comitarĕtur, vnâ cum aliis Principibus, & Imperij Ciuitatibus. Ex
1313. autographo dato octauâ Maij, 1313, ſignato, *Petrus de Albâ roſâ.*

BISONTINORVM CLADES ad Malam Combam, cum aliis ſcitu dignis.

CAPVT LXII.

1335. ANNO 1335, *Ioannes Cabilonenſis D. de Arlato* & *Hĕricus Comes Montis Belicardi* cum Ciuibus Biſontinis fœderati, *Odoni* Burgundiæ Duci bellum inferunt, pro quibuſdam reditibus Salinarum, quos Cabilonenſis ad ſe pertinc

pertinere contendebat: Leuibus prælijs res aliquandiu geſta, quouſque anno ſequenti 1336, egreſſos è Ciuitate Biſontinâ pluſquàm mille Ciues, Dux *Odo* 1336.
cum ingentibus copiis, verſus *Auennam*, ad internecionem deleuit, in quodam decliui loco, quem exindè *Malam Combam* vocitant, vbi etiamnum hodiè enſium, galearum, & armorum ſimilium fragmenta fodientibus occurrunt. Præuiſus fuerat per Odonem ille Ciuium exitus, nam Campanarum funes in Ciuitate, maximè in Eccleſiâ S. Petri abſciſſi reperti ſunt, dùm cuſtodes Ciuitatis ad conuocãdum populum accurrerunt. *Ex chartophilacio Ciuicæ domus.*

Eodem anno, poſt bellum peractum, Ioannes Cabilonenſis ſe Ciuiũ damna reſarciturum pollicetur, ſeque 6000 Florenorum auri, quæ pro ipſo impenderant perſoluturum. *Ex diplomate.*

Anno tandem 1337, autoritate Philippi Valeſij hu- 1337.
ius nominis VI. Francorum Regis, pax facta eſt inter Odonem Ducem, & dictos Principes. *Ex inſtrumento.*

Anno 1338, *Henricus Comes MonsBelgartenſis* in con- 1338.
ſiſtorio Ciuitatis Biſontinæ in numerum Biſontinorum Ciuium receptus, iuſiurandum fidelitatis ſacro Romano Imperio, & Gubernatoribus Biſontinis ſollemniter præſtitit. Idem fecêre Reginaldus *de Bouclans* Eques anno 1275: Ioannes *Deſchamps* Eques 1309: Simon *de Quincey* 1310: Richardus *de Ceys* Eques 1326: Ludouicus *de Nouocaſtro*, & Guilelmus *de Montefalcone* Equites 1342: Guilelmus *de Viennâ* 1352: Henricus *de Viennâ* Eques 1355: & alij quamplurimi illu-

ſtres

ſtres viri, qui honorem illum ſequentibus ſæculis ambiuêre. *Ex Diariis Ciuicæ domus.*

Anno 1347, menſe Martio, poſt multas nouas diſcordias inter *Odonem Burgundiæ Ducem, Ciues Biſontinos, Ioannem Çabilonenſem, Theobaldum de Nouo-Caſtro, Henricum de Falcogneio,* & alios; pax tandem interpoſita eſt. *Ex inſtrumento.*

Anno 1357, Biſontini de ſuæ Ciuitatis protectione tractarunt cum *Philippo* Duce Burgundiæ, cognomine Audaci. *Ex inſtrumento.*

RES GESTÆ VESONTIONE memorabiles ſæculis adhuc XIV, & XV.

CAPVT LXIII.

ANGLI qui toti Galliæ priùs infenſi fue-
1362. rant, anno 1362, Burgundiam inuaſerunt, vt aduersùs *Margaretam Comitiſſam* manus exercerent. Tunc 22 Decembris nocturnis inſidiis Veſontionem aggreſſi, *Portam Arenarum* conati ſunt euertere; ſed ope Dei & SS. Tutelarium Ciuiumque armis pulſi, & in fugam auerſi ſunt. *Ex*
1364. *Diario Publico.* Iterum anno 1364, Angli Sequanos vaſtant, & Veſontionem cogitant: ſed iuxta Camborniacum partim cæduntur, partim fugantur. *Ex eodem Diario.* Tunc tempore *Aymonis* Archiepiſcopi, Palati

Palatium Archiepiſcopale, quod erat in Brigillâ vico Ciuitati proximo, Biſontini funditus euerterunt: Vnde non leues ortæ ſunt contentiones, finitæ poſteà per Inſtrumentum Authenticum Guilelmi *de Vergeyo* Archiepiſcopi, datum 7 Idus Octobris 1375, quo declarauit Ciues nullâ teneri mulctâ pro deſtructione illius caſtri, factâ quippe tempore belli, & de conſilio Nobilium Burgundiæ. *Ex Archiuo publico.*

Carolus quartus Imperator confirmauit vetera Iura Ciuium Biſontinorum 2 Non. Mart. 1364, ex di- 1364.
plomate dato in *Carleiſtein*, vbi *Veſontionem* vocat *Sedem, & Cameram Imperij principalem, immediatam, & chariſſimam.*

Anno 1372, 28, Nouembr. *Hugo de Cabilone* cum ſuis 1372.
nepotibus, Veſontionis defenſor efficitur. *Ex inſtrumento.*

D. *Margareta* Burgundiæ Princeps, filia Regis Fran- 1378.
ciæ, Diplomate dato 1378, ſignato *Thoronde*, declarauit Ciuitatem Biſontinam nullatenus teneri ad qualemcúmque contributionem, pro quibuſcumque Comitatus Burgundiæ rebus, & negotiis. *Ex inſtrumento.*

Venceſlaus Imperator cõfirmauit antiqua priuilegia Biſontinę Ciuitatis, Lucẽburgi 3 Maij 1398, *quòd* 1398.
(vt eſt in Diplomate) *Ciuitas Biſontina erga Imperiũ ſacrum tam feruido feratur cordis affectu, vt maluerit potius, perſonas, & res ſuas grauibus periculis ſubiicere, quam à Cæſareæ Maieſtatis obedientiâ, ſeu obſequiis declinare: quodque licet fuerit varis hoſtium impulſata conatibus, nec tamen*

ad dextram flecti, nec ad ſiniſtram partem nouerit procliuis detorqueri.

Idem Imperator in alio priuilegio ad Biſontinos hæc habet: *Plenè ſcimus, & experientiâ teſte agnoſcimus ſinceram fidem veſtram, quam erga nos, & Imperium Sacrum Romanum inconcuſſè tenetis, vt nec longinquitas ſitus, quâ ab Imperij finibus remotè ſepoſiti noſcimini, nec temporis qualitas, ſeu oppugnationis aduerſitas, quibus multorum potentum inſidiis, & preſſuris multiplicibus, prout relatione certâ recepimus, grauamini, vos ab audientiâ ſacri Imperij aliqualiter valeant ſequeſtrare.*

1409. Anno 1409, cùm Dux Burgundiæ Caſtrum *Velleſſon* obſediſſet (quod occupabat *Henricus Dominus de Blamonte* cum *Theobaldo, & Orrico* filiis ſuis) auxiliares à Biſontinis copias poſtulauit, quæ ſtatim ei tranſmiſſæ ſunt, Ducibus *Ioanne Porceleto, Iacobo Moucheto, Ioanne Michaële, & Ioanne Bonualeto ciuibus.* Conceſſæ præterea ſex bombardæ maiores cum quatuor millibus ſagittarum pro illâ obſidione D. Ioanni *de Vergeyo* Burgundiæ Mareſchalco. *Ex Diario.*

1420. Anno 1420, decreto Gubernatorum omnis *Iudæorum* colluuies Veſontione nullo poſtliminio exterminata. *Ex eodem Diario.*

1421. *Philippus* cognomento *Bonus* Dux Burgundiæ, Veſontionis protector eligitur à ciuibus. *Ex inſtrumento dato* 21 *Mart.* 1421.

1423. Sigiſmundus Imperator anno 1423, Iura omnia vetera, libertates, conſuetudines laudabiles, ſtatuta, & priuilegia à Diuis Romanorum Imperatoribus,

ribus, & Regibus Ciuitati ſuæ Biſontinæ prius conceſſa, approbauit, & confirmauit. Idem anno 1430, 1430.
auxilium militare poſtulauit à Gubernatoribus Biſontinis aduersùs Bohemos, cum quibus bellum gerebat. Anno iterum 1434. 12. Iunij, *Vlmæ*; & 14. 1434.
Ianuar. *Baſileæ*, Biſontinorum antiqua priuilegia confirmauit.

Anno 1442. Friderico IV. Imperatori Veſontionem 1442.
per portam B. Virginis aduentanti, Ciues magno numero cum vexillis ſuis, (triplici colore, rubro, flauo, & nigro ſemper diſtinctis,) obuiam procedentes, claues Ciuitatis obtulere; quas illicò Gubernatoribus tanquam certiſſimis, & fideliſſimis eiuſdem Ciuitatis defenſoribus, coram Quintino Archiepiſcopo reſtituit. Tunc Veſontionis priuilegia confirmauit Diplomate, in quo hæc de Ciuibus habentur: *Qui quaſi in limitibus Imperij inter Principes, & Dominos veluti peregrini, variis diſpendiorum oppreſſionibus, & crebris ictibus quatiuntur, nec tamen vllis infeſtationum fluctibus, aut aduerſitatum turbinibus, à noſtrâ, & Imperij deuotione potuerunt retorqueri, ſed ſemper immobiles perſiſtentes, ad nos, & dictum Imperium fida dirigunt vota.*

Anno 1444, cùm *Ludouicus* Delphinus, Franciæ Re- 1444
gis filius, cum turmis ingentibus militum, quos *Excoriatores* vocabant, aduersùs Rauracos proficiſceretur; Archiepiſcopale Palatium, iampridem apud Brigillam reædificatum, de nouo per Ciues Biſontinos deſtructum eſt, ne ſi dictus Delphinus illud oc-

 cupaſſet,

cupaſſet, (quod potuiſſet facillimè) inde damnum Ciuitati maximum intuliſſet. Longa ob id inter Quintinum Archiepiſcopum, & Ciues lis interceſſit; finita tandem tempore *Caroli de Nouo-caſtro* Archiepiſcopi, qui pro ſummâ ſexcentorum francorum, totali domus illius deſtructioni conſenſit, reſeruato ſibi iure aliam alibi exſtruendi, quæ nullatenus poſſet obeſſe Ciuitatis ſecuritati. *Ex titulis.*

ORTA VESONTIONE SEditio, & eam ſubſecuta damna, ſub Friderico IV Cæſare.

CAPVT LXIV.

1451. ANNO Domini 1451, turbulenti quidam Ciues, & malè in Patriam animati, ſeditioſæ libidini prætexentes, velle ſe magnæ cuiuſdam ſummæ repetere rationem, quam ante Gubernatores ad bonum publicum erogarant, plebem in Magiſtratus Vrbanos, & potiſſimos quoſque Primorum commouerunt, quos impetu rebelli, ad ſexaginta vſque adeo ferocientes, & laribus, & mœnibus exegerunt, domos inſuper eorum fœdâ direptione vaſtantes.

Poſtmodum cum ſeditionis capita Reip. adminiſtrandæ

niſtrandæ præfeciſſent, *Fridericus* IV Imperator quò contentioſos æſtus ſedaret, literis mandauit, vt poſitis diſcordibus animis, antiquos Gubernatores in ſuam reſtituerent dignitatem, qui ſecus faxint & perduellionis reos habendos, & incurſuros priuilegiorum iacturam. Verùm cum ſurdis auribus apud tumultuantes animos vox Imperatoris appuliſſet, rogatus ſuper hac re *Dux Philippus*, vt ſubſidium ferret, *Theobaldo à Nouo-caſtro* cui Burgundiæ Comitatus prouinciam, ſub Mareſchalatus titulo ſubdiderat, pulſos inteſtino tumultu Gubernatores in priſtinum gradum reuehere præcepit, qui coacto mediocri exercitu, & iiſdem Gubernatoribus comitatus effecit, vt populus reducendis in Vrbem antiquis Magiſtratibus conſentiret, & malè meritos de Republicâ Ciues aſpernaretur. Ipſi verò Gubernatores à Theobaldo reducti impenſas, quas militi conſcribendo fecerat, ei perſoluerunt. Sed *Philippus* non contentus curauit ſe in medietatem iuriũ quorumdam, & prouentuum Ciuitatis ſub ſpecie ſocietatis aſſumi, & recipi, ac vectigalibus mulctiſque pecuniariis participare; præterea *Iudicẽ* qui conſilio adeſſet; ac *Ducẽ* ſiue militum præfectum voluit in ciuitate habere. *Tractatum* hunc vulgò *Aſſociationis* vocant. Exindè Ciuitas vniuerſa ad *Mariam* Maximiliani coniugem recurrit, oſtendens quantus ſuis Maioribus aſſignaretur lapſus conſcientiæ, ſi contractus ille pro legitimo haberetur: quod cùm Illuſtriſſima Princeps habere vellet exploratius; anno

Domini 1477, rem certiùs inueſtigandi cautionem dedit Præfectis Superioris Balliuatus, & Dolani, vt veritas pacti clarius dignoſceretur: hi tum Epiſcopos, Abbates, Canonicos, tum nobiles ad ſeptem & viginti dato ſacramēto teſtes audiuerūt, qui vnâ voce (eiuſdem ſcilicet Theobaldi à Nouo-caſtro temporibus coætanei) de illatâ vi teſtimonium tulerunt. Verùm cùm præpropera nex Mariam extuliſſet, Ciuitatis Magiſtratus illa iura ab Imperatore Maximiliano, & eius filio Archiduce Philippo, certâ pecuniæ ſummâ redimere coactus eſt: qui tamen Sereniſſimi Principes, officiarios illos, ablatis quâdam ex parte ipſorum exercitiis, ſeruarunt.

Goluſius lib.10, cap.75, veræ hiſtoriæ germaniſſimū ordinē peruertens, tumultum hunc Ciuium, tractatui aſſociationis, quē Ciues cum Duce Philippo pepigerant, malè facit poſteriorem: cum titulis publicis exploratiſſimè conſtet ciuile hoc diſſidium pacatum per Theobaldum de Nouo-caſtro fuiſſe huius Aſſociationis cauſam. Ignoſcite Goluſij Manes, ſi vos quādoque videor increpare: Eâ ſolum honeſtâ libertate vtor, quâ, pro veri dignotione, literati ſolent: Idem in me poſteri Ius habebunt.

BELLVM

BELLVM IN BVRGVNdia : varia Biſontinorum fœdera & priuilegia.

CAPVT LXV.

ANNO 1479, Burgundiæ Comitatu per 1479.
Carolum Amboſium pro *Ludouico* XI Rege
Francorum capto, Veſontio cum ſuis im-
munitatibus fidelis Cæſari ſuo remanſit,
& illæſa, ſub eiuſdem Ludouici Regis (qui ſe *Bur-
gundiæ Comitem* profitebatur) protectione. Neque
ideo Rex ille Ciuitati quidquam detraxit libertatis,
immò (vt videre eſt in Archiuo Ciuicæ Domus)
Ciuibus Biſontinis conceſſit, vt cum iure immuni-
tatis in regno ſuo, abſque vectigali quoquam com-
mercium exercerent, quemadmodum ipſi Ciues
Pariſienſes: per Diploma datum ad *Turonas menſe Fe-
bruario* 1480, relatum in publicas literas Parlamenti 1480.
Pariſienſis 12 Aprilis eiuſdem anni, ſignatum *Char-
telier*, & obſignatum ſigno maximo in cerâ viridi.

Eiuſdem Ludouici Regis gratiâ, adoptionéque Regiâ, Biſontinis ciuibus indulta eſt Francica ciuitas (*literas naturalitatis* vocant) nec eos indigenarum iure Diplomatico egere ſanxit Princeps, ſed è Gallicorum ciuiũ numero penitus haberi, ac proinde quorumcúmque officiorum, beneficiorúmque capaces. Legi quoque peregrinariæ, ſiue *Albinatus* vel

vel ἀποξενώσεως iuri(agnoſcendæ ſcilicet aliàs caducæ
hæreditatis cauſâ) nullo pacto ſubditos declarauit,
conſtitutione editâ in loco, quem vocant *Le Pleſſis*
1480. *du Parc les Tours*, anno 1480, *Regni viceſimo*: Infra: *Per
Regem Epiſcopo Albyenſi præſente*: & inferiùs: *G. de
Marle: Expedita in Camerâ computorum, libro charta-
rum huius temporis, fol.*152: *ſinè Financiâ*, 12 *Aprilis ante
Paſcha, anno Domini* 1480, ſignata *Cheualier*; & ſi-
gno maximo ceræ viridis obſignata. Idem de
Sequanis omnibus ſanxere poſteà Franciſcus I. Ca-
rolus IX. Henricus III. & Henricus IV. Chriſtia-
niſſimi Reges.

1492. Anno verò 1492, die Veneris Sancto Thomę fe-
ſto, *Maximilianus* Romanorũ Rex cum duobus mil-
libus armatorum Veſontionem ingreſſus, Burgun-
diam recuperauit. Ciuitatem ingreſſuro, ſub horam
quintam veſpertinam, obuiam proceſſêre Domini
Gubernatores omnibus ordinibus comitati, vſque
ad Crucem portæ Batualium: cui die Sabbathi ſe-
quenti, *Centum pingues oues, & centum vini dolia* pro
munere obtulerunt. Die Dominico de mane, *poſt
confirmata Diplomate vetera Ciuium iura, & libertates*,
Ciuitate cum ſuis egreſſus eſt, Caſtrum *Montis Ro-
tundi* profecturus, vbi natalem Domini celebrauit.
Ex Diariis.

1502. Iterum anno 1502, menſe Septembris *Maximilia-
nus* confirmauit priuilegia Ciuitatis Biſontinæ, Di-
plomate dato Oeniponti.

Eodem anno 1502, 25 Maij tractarunt Guberna-
tores

tores de Ciuitatis per duos annos protectione, cum *Philippo* Archiduce Auſtriæ, pro ſe, & filio ſuo Carolo. *Ex inſtrumento.*

Anno 1518, cum Ciuitatibus *Bernenſi, Friburgenſi, & Solodorenſi*, Biſontini fœdus ineunt, quod anno 1520, literis ſuis Imperator *Carolus Quintus* confirmauit. Idem fœdus renouarunt anno 1579, cum Ciuitatibus *Friburgenſi*, & *Solodorenſi* tantùm, quod eodem anno Rudolphus II approbauit. *Ex Diariis.* 1518. 1579.

Anno 1526, Carolus V Imperator confirmauit priuilegia Ciuitatis, diplomate dato Eſlingæ, 5 Februarij, & aliquot aliis, quibus ſic Veſontionẽ commendat: *Repetentibus nobiſcum, quâ fidei ſinceritate, quantâ obſeruantiâ Imperialis noſtra Ciuitas Biſontina, nobis, & Sacro Imperio ſemper addicta fuerit, eiuſque officia, obſequiáque non vulgaria, quibus pro Imperij honore, & incremento, quondam Sereniſſimos prædeceſſores noſtros Romanorum Imperatores, ac Reges, noſque, & Sacrum Imperium, in omni pacis, bellique fortunâ, ſummo ſtudio, diligenti curâ, & ſollicitudine, contemptis hoſtium viribus, armiſque, & conſpirationibus ſpretis, hactenus conſtanter proſequuta eſt, meritò eius fidei conſtantiam dignis laudibus extollendam, & merita officiaque maximis beneficiis ornanda cenſuimus, &c.* Idem alibi: *Quòd Ciuitas in limitibus ſacri Imperij conſtituta, ad Imperij fines tuendos multùm habeat momenti, &c.* Iterum in alio diplomate: *Quod Biſontina Ciuitas in limitibus Imperij conſtituta, nobis, & Sacro Rom. Imperio, ſingulari fide & deuotione ſe ſemper præſtiterit obedientiſſimam, nec vnquam periculis, aut aduerſitatibus, ſeu per-* 1526.

turbationibus, ab obſeruantiâ noſtrâ, & ſacri Imperij potuerit abduci, ſed tanquam arx munitiſſima, & clypeus fortiſſimus aduersùs hoſtes Imperij ſe ſemper obiecerit.

1534. Idem Carolus anno 1534, 4 Maij, pro ſe Comite Burgundiæ, & filio ſuo *Philippo*, cum Ciuibus Biſontinis, de protectione Veſontionis tractatum habuit.

1559. Anno 1559, *Ferdinandus* Imperator Biſontinorum iura, & priuilegia confirmauit Auguſtæ Vindelicorum, diplomate dato 17 Iulij.

1565. Idipſum fecit *Maximilianus* II Viennæ, anno 1565, diplomate dato 5 Nouembris.

HÆRETICORVM SVBITA irruptio: quî à Biſontinis habiti: ſub Maximiliano II Imperatore.

CAPVT LXVI.

AGEBATVR Salutis annus quingenteſimus ſeptuageſimus quintus ſupra milleſimũ; cùm vndecimo Kal. Iulij, ſub horam primam à mediâ nocte, Hæretici quà Lutherani, quà Caluiniani duobus exinde annis cùm Auguſtæ memoriæ Maximiliani II. Imperatoris hortatu, tum Gubernatorum pietate, ac prouidentiâ Ciuitate pulſi, pertæſi exilij ſui, & ſcilicet exactores ſuos pulſuri, adſcitis ad id perfidiæ Francis qui

cis quibuſdam, ac Germanis ex eadem colluuie, aduentant ad portam, quam vulgus *la porte de Battant*; pauci illi quidem, & vix ſupra centum quinquaginta, ſed inſtructiſſimi nauiculis tranſcurrendo flumini, ſcalis, armorum genere omni, & apparatu, qui ad ſubitam oppugnationem opus. Manum operi admouent: pars ſocios anteuertunt in lintribus, atque aduerſo flumine ad interius Vrbis latus illapſi, intra ipſa mœnia ſeſe inſinuant, ſecundum eam turrim, quæ vulgò *la Pelote*. Nec mora, vt erant domeſticarum conſuetudinum ſcientiſſimi, ad illius ædes ſilentio conuolant, apud quem eius portæ claues deponi ſolitæ; eas extorquent, apertiſque foribus aditum faciunt ſociis commodiſſimum. Ingreſſi maiores bombardas occupant, quæ in eius oſtij propugnaculis conſtitutæ ad omnem euentum. Quid agitis ſomnolenti vigiles? Exclamatur, Arma, Arma: magna vrbe totâ commotio; ſed heu tardiuſculè, inuecto iam hoſte. Igitur pontem occupant, ac libratis inde machinis, interiorem Ciuitatem crebrâ globorum emiſſione diuerberant. Sed ô quàm fruſtra! Educta è publicis armamentariis ænea tormenta diſponunt Ciues opportuno loco: hinc vibrantur in perduelles fulmina; vrgetur, inſiſtitur, quatiuntur vndique. Aduentabant deſudantibus ac penè oppreſſis è Nouo-caſtro Heluetiorum (vbi coniuratum fuerat, & dicta proditioni dies) auxiliariæ copiæ; & præſtò adfuiſſent, hi Mortuæ aquæ (quâ illis iter) oppidani, vel eo nomine

de Biſontinis benè meriti tranſitum pernegaſſent, etiam inuitis, & verò reluctantibus. Deturbantur interea de ponte leui negotio, pars in conflictu cæſi, pars in ſubiectum flumen ſponte demerſi, pauci arreptâ fugâ euaſere: capti circiter viginti, & iudiciariâ formâ laqueo addicti. Sic à tenebrionum incurſibus vindicata Ciuitas, diuinâ certè manu, & SS. Ferreoli, & Ferrucij Martyrum ope. Rem geſtam refero, domi geſta eſt, omnes ſciunt; Viſas per id tempus geminas faces inuſitati ſplendoris, primùm quidem imminere Metropolitanæ Baſilicæ S. Ioannis, vbi maior pars oſſium Sanctorum in capsâ argenteâ; moueri deinde ad ſumma tecta Dominici S. Vincentij Martyris nomine conſecrati, in quo religioſè colútur cæteræ eorumdem Sanctorum exuuiæ; tum facto mœnium Ciuitatis ambitu vaneſcere: creditum hoc affuturæ è cælo opis argumentum: nihil hic anile, nihil fictitium, conſtans eſt apud noſtrates fama: aſſerunt probi viri, nec ſubleſtâ fide, arbitris ſuis ſenſibus: id etiam ſæpe aliàs fieri ſolitum ferunt, & quoties grauis aliqua impendet vrbi calamitas. Agnitum illud à Senatu, cuius decreto ſancitum, vt eâ ipsâ die Iunij vigeſimâ primâ, recurrente quotannis celebritate, Diuorum tutelariũ ſacra pignora, ſollemni pompâ, cum precibus publicis, & magno omnium ordinum comitatu, in accepti beneficij, ac ſeruatæ Ciuibus vitæ, fortunarum, & Religionis μνημόσυνον, circumgeſtentur.

EXCVR

EXCVRSIO TREMBLECVRÿ in Burgundiam: Obſidio Veſontionis per Henricum IIII Gall. Regem, Rudolpho II Imperante.

CAPVT LXVII.

ANNO 1595, menſe Februario quatuor, aut quinque tam Gallorum, quàm Lotharingorum millia, infeſtum latronum agmen in Burgundiæ Comitatum intulerunt, Tremblecurij cuiuſdam, Nobilis Lotharingi ductu: dein armatâ vi *Juſſæum*, *Iunciuillam*, *Amancæum*, *Portuſſonam*, & alia oppida minora facili negotio prædatoriis ſignis deuaſtarunt; ſicut & *Gyum*, *Marnacum*, ac munitiora quædam loca, quæ vicis circumiacentibus hoſtilem in modum incenſis, ac dirutis diripuerunt. *Veſulium* poſtmodum cœperunt expugnare; quod impar tantis militum aſſultibus hoſti ſe dedidit, eâ conditione, vt ab omni vaſtatione & iniuriâ prorſus abſtineretur. Verùm hoſtis loci compos, fidem, & pactum violans, quidquid crudelis, & barbari ab infenſiſſimis latronibus vlla vrbs vnquam experta eſt, in hac exercuit. Veſulio Tremblecurius iã audacior factus Fæcialẽ mittit ad Veſontinos, qui denunciaret velle ſe Ciuitatis protectorem haberi, quemadmodum Rex Hiſpaniæ priùs fuiſſet: cui reſponſum à Gubernatoribus, Ciuitatem ſub tanti, ac talis protectoris 1595.

eſſe tutelâ, vt nullum planè eſſet argumentum illum cum alio commutandi, neque cuiuſquam reformidandi ſub eiuſmodi protectione.

Inter hos tumultus Conſtabularius Caſtellæ, cum numeroſâ militum Hiſpanorum manu in Burgundiam ad opem ferendam venit: qui breui recepto Marnaco, & ſuſpenſis ad feneſtras caſtelli præſidiariis, caſtra direxit Veſulium, & Vrbem pulſis hoſtibus expugnauit. Extemplò *Tremblecurius* ac *Lupius* ſocius eius in caſtellum Veſulanum, quod in colle extra vrbem ſitum erat, confugerunt; ac iam locum foſsâ detersâ, & aggeſtis aggeribus munientes, ſuſtinendis aliquamdiu Hiſpanorum aſſultibus præparauerant: Verùm cùm poſt aliquod tempus, commeatus bellici, & aqua pani faciendo, milites inſuper, ob quotidianas eruptiones deſiderarentur; ipſe quoque *Lupius* plumbea glande traiectus occubuiſſet; ad deditionem fuit veniendum. *Tremblecurius* ſaluus clàm in Lotharingiam ſeceſſit, vbi poſt aliquod tempus *Romarici monte*, quò ad Monialem quamdam affinem ſuam effugerat, capitur: cúmque inde à ſatellitibus abduceretur, in fluuium quemdam, nando euaſurum ſe ratus, inſiluit; ſed ibi inter nandum glande catapultariâ ictus, ac cæſus, ſcelerum, quæ crudeliſſimè perpetrarat, mercedem ſortitus eſt.

Dum his calamitatibus Burgundia variè iactatur, *Henricus IV* Galliæ Rex, in illam cum acie defertur, ac ad Graiaco vicina loca primò exercitum

admouit

admouit, ſperans *Conſtabularium*, qui Graiaci tunc temporis erat in manus ſuas venturum: Verùm ſpe ſuâ fruſtratus Veſontionem contendit, ſibi, ſuiſque bellatoribus tranſitum petens; qui cùm à ciuibus illi denegatus eſſet, ſcilicet repulſam paſſus excanduit, & Ciuitati infenſus oppugnationem cœpit comminari: ſed interpoſitæ ſunt pacis conditiones, per aliquam pecuniæ ſummam, maximo liberæ Burgundiæ commodo: nam in Regio diplomate dato in Caſtris ad S. Vitum 3 Auguſti 1595, inter alia continetur, *Gallicum exercitum deinceps ad Ciuitatem Biſontinam quatuor leucarum ſpatio non acceſſurum.* Ex quo patet vicinos Veſontioni Burgundiæ vicos in tuto poſitos fuiſſe.

Anno ſequenti 1596, Sereniſſimus Princeps *Albertus* Archidux Auſtriæ, in Belgium proficiſcens, ingreſſu ſollemni Veſontione fuit exceptus, in cuius gratiam hilaritas publica cõceſſa eſt. Is poſtmodum cum vxore ſuâ Sereniſſimâ *Iſabellâ*, Auſtriæ Archiduciſsâ, & Comitiſsâ Burgundiæ, Veſontionis protectionem ſuſcepit 17 Maij, anni 1600. Deus Opt. Max. eorum vota fœliciter, & vtrique vitam incolumem, ac diuturnam concedat. 1596.

SPECI

SPECIMEN LÆTITIÆ *publicæ, actæ Veſontione, pro fœlicibus* MATHIÆ *Imperatoris auſpiciis.*

CAPVT LXVIII & vltimum.

RVDOLPHVS II Imperator noſter Inuictiſſimus, & ſapiẽtiſſimus moritur decimâ Ianuarij anni 1612. Acceptis obitus eius nunciis infeliciſſimis, Exequiarum iuſta de more in Eccleſiâ Franciſcanorum Biſontinâ, iuſſu Dominorum Gubernatorum perſoluta, ac celebrata ſunt.

1612. Eodem anno 1612, decimâ tertiâ Iunij, Mathias Archidux Auſtriæ, Rex Hungariæ, & Bohemiæ, in Romanum Imperatorem Francofurti eligitur, conſentientibus omnium Electorum ſuffragiis; & ſequenti 24 feliciſſimè coronatur. Quo Veſontione audito, actæ per vniuerſum Clerum, & Populum Deo O. M. gratiæ in Eccleſiâ Metropolitanâ; & octauâ Iulij publicæ decretæ ſupplicationes. Tum Gubernatores dies decem feſtos lætitiâ publicâ celebrandos indixerunt.

Ad publici gaudij apparatũ nemo labori pepercit, nec ſumptibus; immò priuatis omiſſis negotiis paratiſſimi omnes, in omnibus Ciuitatis Tribubus,

& plu

& plateis, triumphales arcus, & theatra temporaria extruxerunt. Arcubus appenſi tituli gratulatorij quamplurimi, (quos breuitatis causâ prætermitto) trophæa, Imagines ex nūmis antiquis depromptæ; & in fornicum faſtigio, Imperatoria, & Auſtriacæ gentis inſignia. Theatra varietate operis, & concinnitate elaboratiſſima, publicis cantibus, & conuiuiis erant comparata. Ciuitas omnis

---- *Regali ſplendida luxu* ——

Inſtruitur, mediiſque parant conuiuia tectis. Ciuica domus ſedulitate, & induſtriâ D. Hugonis Morelli operum publicorum præfecti, triumpho aptatur; Pegmatis, arcubus, & titulis exornatur. Tale programma pro foribus appoſitum:

VESONTIONIS, SEQVANORVM
MAXIMÆ,
LÆTITIA PVBLICA.

Iuxtâ, in plateâ Petrinâ, porta triumphalis magnifica, figurarum varietate, & ſtructurâ mirabilis, columnis verſicoloria marmora imitantibus, & gentium victarum ſpoliis à Senatu poſita, in cuius faſtigio, Inſignia Imperatoria, triumphalibus lemniſcis & floribus coronata, cum hoc lemmate, in Zophoro:

IMP. CÆS. MATHIÆ AVG. PIO, FELICI,
INVICTO, P.P. S.P.Q.B. DEVOTISS.
NVM. MAIEST. QVE EIVS.

In parte verò aduersâ orientem versùs, nihil aliud præter ſollemne illud in veterum nummis: S C.

In eiuſdem plateæ medio, ſublimis, teres, & mar-

moroſa columna erecta VIRTVTI AVG. in cuius epiſtylio laureati Imperatoris noſtri triumphalis ſtatua collocata.

Die igitur Solis decimaquintâ Iulij,

----cum medium Sol igneus orbem
Hauſiſſet,

tubæ, tympana, litui vndique exaudiri cœperunt, quæ omnia inauguratum Imperatorem noſtrum Mathiam, in currus triumphalis ſolio pro dignitate ſedentem, per auream Ciuitatem à Tribu Arenarum deductum comitabantur: Illi aſſidebant in equis generoſiſſimis Sacri Principes Imperij Electores, hinc inde ſatellites, ſtipatores, & haſtati corporis cuſtodes, ruſſis indumentis, & pennis Africanis inſtructi omnes: adeóque bene repræſentabantur omnia, vt qui viderunt, Comitiis Imperatoriis nuperrimè apud Helenopolim celebratis, ſibi videantur interfuiſſe. Simul ac deuenit ad Ciuicam domum Imperator, is ex curru triumphali, Principes verò Electores ex equis deſilierunt: theatrum conſcenderunt variis picturis textilibus adumbratum, & veluti de magnis rebus pro tribunali acturi, in exedrâ conſederunt: dum ecce Turcarum Imperatoris Caduceator in plauſtro vernanti buxo camerato, per ſeruos octo rhedarios vectus (cui ad latus milites ſeminudi, *inſignes iaculo, & longe fallente ſagitta*) ex Tribu Campo-Martià egreſſus, Imperatoriæ phalangi fit obuius. Nec mora Cæſarem Legatus adoritur, qui poſtquam Imperij faſcibus ſe ſubmiſit receſſit

ceſſit cum ſuo Comitatu. Mathias ſolium ſuum in rhedâ deauratâ denuò conſcendit, & per Ciuitatem triumphans deducitur. Toto triumphi tempore fœlicem vitam, & fauſta omnia publicis acclamationibus Imperatori Mathiæ precabantur Ciues; publici latices vino diffluebant, quod Liberi patris miniſtri, foliis vitis, & hederæ redimiti, poſtulanti cuiuis, vaſis aureis, & argenteis propinabant.

Prima ſtatim noctis face,

Collucent ignes, noctem cuſtodia ducit
Inſomnem ludo: ———————
---dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

In vicinis collibus Dianæ, Brigillæ, Roſarum, & aliis, accenſæ pyræ, *---dant clara incendia lucem*
Erranti.

Poſt ſecundam noctis vigiliam, immò & circa gallicinia, æ nea tormenta plurima ex armamentario educta, diſploſa multoties tanto cum fragore, vt ſomnus omnibus interrumperetur. Horum maior pars in Monte Cœlio, & Campo Martio; reliqua in Ciuitatis turribus, & propugnaculis. Vnum ex præcipuis, quæ *Colubrinas* vocant, nullo adſtantium læſo malâ ſorte ruptum eſt, cui ſtatim refuſo, & renouato D D. Gubernatorum iuſſu, inſcripta hæc carmina, quæ D. Daniel *Cheuannay* I C. Gubernator, inter ſeria ſua componebat:

Infracta bellis, pace rumpor, flammeo
Amore grauida Principis:

 At

At pace rurſum flata, ſeruor Imperi.
Renata fulmen hoſtibus.

Poſtridiè Tribus Quintinia Fortitudinem, Iuſtitiam, Liberalitatem, Clementiam, aliáſque virtutes Imperatorias in Mathiâ noſtro collucentes, ſub pulcherrimarum virginum habitu, geſtu decoro, priſcóque ritu, in aperto curru per Ciuitatem deduxit. Puellarum ſplendidiſſima erant veſtimenta, quas cum tubis, lituis, & tympanis, auro, & argento luxurians, ac diuitiis ſplendida, virorum, & mulierum turba ſequebatur. Illi primis poſteà noctis tenebris, in bellatoribus equis à Monte Cœlio ad montem Charitum cum facibus ardentibus multoties decurrerunt; itavt antiquum illud *Promethei ludicrum*, de quo Pauſanias in Atticis, imitari velle viderentur. Itidem Arenarum Tribus, hac die Lunæ, choreas dedit non vulgares iuuenum, & puellarum in habitu Germanico pretioſo admodum.

Die Martis, Martia Biſontinorum virtus enituit, reuixit celeberrimum olim in arenis Chryſopolitanis Troiæ ludicrum; data enim S. P. Q. B. Nobilium armatorum ludicra, & iocularis decertatio in Ciuicæ domus areâ. Troiam luſit turma duplex, vna Imperialiũ, altera Maurorũ Equitum: Omnes

Intenti exſpectant ſignum, exultantiáque haurit
Corda pauor pulſans, laudúmque arrecta cupido:
Inde vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
Haud mora proſiluêre ſuis.
Olli diſcurrêre pares, atque agmina terni

Diducti

Diductis ſoluere choris, rursúſque vocati
Conuertêre vias, infeſtáque tela tulêre:
Inde alios ineunt curſus, alióſque recurſus
Aduerſis ſpatiis, alternóſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulachra ſub armis:
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt
Infenſi, factâ pariter nunc pace fruuntur.

Multùm ſplendoris afferebant diuerſicoloria indumenta auro, & gemmis rutilantia, necnon Africanæ pennæ, & lemniſci, quibus galeas, & cataphractos equos inſtruxerant. Tunc totam ferè Veſontionem Ciuica Domus capiebat: Ciues plebeij è Xyſtis publicis tanquam ex theatro, Gubernatores ex aulâ ſuperiori velut ex Orcheſtrâ pugnam circumſpiciebant. Troia autem eò celebrior fuit, quòd non à Tyronibus, ſed exercitatiſſimis data.

Die Mercurij, Tribus Burgenſis fœliciſſimum Mathiæ Hymenæum ſub alati Cupidinis habitu comitata eſt in plauſtro, quod (quia *omnia vincit Amor*) ab omnis generis hominibus, Europæis quippe, Africanis, Aſiaticis, & Americanis trahebatur: præibat Satelles numeroſus inermis, bacillis tamen & lauro inſtructus: ſequebantur Deæ Diíque, quos olim Amori ceſſiſſe veterum fabulæ narrant: Agmen claudebant paſtores, & ruſticanæ Virgines.

Die Iouis, lætitiæ quintâ, Tribus Petrina, mea, ruſſis, & Venetis, iiſque ſericis veſtita indumentis triumphauit. Quatuor immanes Tauri, cornibus deauratis, toto corpore, & capitibus, Attalicis operti

peripetaſmatis, rhedam vehebant triumphalem: in cuius ſolio, pulcherrima ſedebat virgo, Veſontionem referens, imperiali coronæ ſubiecta: Induta erat veſte ſericâ, limbis aureis ornata, ſparſis huc illuc Aquilis, cùm Imperij, tùm Veſontionis Inſignibus: dextrâ manu ſceptrum gerebat, vbi Iouis item alites circumcircà depictæ. In anteriori currus parte ſtabat Genius Ciuitatis, qualem videas in nummis antiquis: aſſidebant priſci Biſontinorum Dij, quibus vicinj colles, prata, luci olim ſacri. Titulus currui appenſus talis erat:

Sic iuncta Imperio Veſontio ſemper honore
Creſcat, & æterno perſtent ea vincula nexu.

Die Veneris, ſextâ, iunctæ nymphis Charites Veſontionenſes in curru maximam alacritatem cum moderatione coniunctam teſtatæ ſunt, è Tribu Charitomontanâ egreſſæ, quibus

Arte laboratæ veſtes, oſtróque ſuperbo.

Die Sabbathi, vicus Caſtoris, & Paulinus, ambo viticolarum, Bacchum pampinis redimitum dolio inſidentem duxerunt in carpento, qui, per omnia Ciuitatis cõpita, *vrnæ cratera capacẽ* vino generoſiſſimo plenum, pro Imperatoris fœlicitate exhauriebat.

Die Solis, octauâ, triumphus Romanorum à Tribu Batualium exhibitus, qualẽ deſcripſit Onuphrius Panuinius, ex Dionyſio, Plutarcho, Seruio, Tullio & aliis. Præibant cum tympanis miniſtri turbam ſummouentes, lictores, magiſtratus, tubicines: ſequebantur ſigna captarum vrbium; aurum, & argentum

gentum percuſſum, & non percuſſum; ornamenta, & coronæ militibus virtutis ergò donatæ; tum tabulæ, ſigna aurea, argentea, ærea,& eburnea; gemmæ, purpura, coccus, byſſus; gentium victarum ſpolia; arma,pharetræ,galeæ,ſcuta, thoraces, gladij, ſigna militaria, fræna, enſes, ocreæ Cretenſes, peltæ Threiciæ,vaſa aurea, & argentea. Ecce iterum tibi tubicines, & poſt hos, hoſtias, poppas, victimarios, Camillos, & Flaminios, gentes bello captas, coronas à prouinciis Imperatori triumphanti donatas, lictores laureatos,& ſuauiſſimorũ odorum ſuffimenta. Adeſt tandem in curru triumphali Imperator, cuius ſacro capiti laureá alata Victoria ſuperponit: ſequuntur Phonaſci, & citharœdi; & in equis generoſiſſimis propinqui Cæſaris triumphantis, Legati,Tribuni, & Duces: tum longo ordine totus exercitus. Veterum Gallorum in veſtimentis color placuit huic Tribui, de quo Martialis:

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia ruſſis,
Et placet hic pueris, militibuſque color.

Venio ad diem Lunæ, lætitiæ nonam. In campo Martio,quà Minimorũ eſt cõuentus,haſtiludia quędam,& Equitum quaſi velitationes, cũ multo plauſu productæ; priùs etenim haſtis, dein ſcloporum diſploſione, poſtremò gladiis Nobiles decertarunt.

Die Martis,hæc hilaria concluſit in armis iuuentus Biſontina, exercitus ſui luſtratione: præcedebat Dominus Federicus Chauiræus Gubernator, & Armamentarij Præfectus: ſequebatur longus haſtatorum

torum

torum ordo, fronte per quindenos inſtructâ; tum Ferentarij maioribus ſclopis vtentes, quos vulgò *moſquetos* vocant: Signũ militare in medio collocatum: aderãt poſtea quini longâ ſerie ſclopetarij, quibus à tergo, præſidij loco erãt haſtati quamplurimi eodem ordine collocati: *tentis reboabant caua tympana tergis.* Deniq; tantâ induſtriâ ſclopi diſplodebantur, & verſabantur haſtæ, vt qui ex diuerſis eò confluxerant locis, rei militaris peritiam in Biſontinâ pube mirarẽtur. Quid ampliùs à Biſontinis requiri potuiſſet, ignoro: per hos enim decem dies Ciuitas hortorum faciem ſuis in vicis habuit; ignes de nocte perpetuos, pompas celebres, & cum ſingulari modeſtiâ publicas iuuenum & puellarũ ſaltationes: addo currus ſeptem Tribuũ triumphales ſupra memoratos, quos longo ordine ſequebãtur iuuenes Nobiles cum puellis, auro, argento, gemmis, ſericóque adeo exornatis, vt tantum ſplendorẽ acies oculorum vix pati poſſet. Omitto carmina, pæanes, arcus, teſtudines, theatra, trophæa, triũphos, ſcenas, lemmata, emblemata, epigraphas, & ſexcenta id genus, quæ faciliùs complecti quis cogitando poſſit, quàm ego dicẽdo. Dico tantùm, nuſquam in vllius Imperatoris commendationem, tam multa, tam ſplendida, tam varia, tam breui tempore, in vnâ Ciuitate, exhibita fuiſſe, neque cum tantâ in nouum Imperatorẽ voluntate.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

INDEX RERVM
MEMORABILIVM
Primæ Partis.

A

ADGINNIVS IIvir Biſont. 109
Adolphus Imp. confirmat Iura Biſont. 237
Adorationis ritus. 85.86.87
Ædificia Biſontina. 34
Æſculapij typus. 179
Agrippa conditor aquæductus Biſont. 127.128
Albertus Archidux Auſtriæ protector Veſontionis. 255
Albertus Imp. confirmat iura Ciuium. 238
Alphonſi Imp. Epiſtola. 222
Ammianus Comes Veſontione. 188
Amphiteatrum Biſont. 119
Angli Veſontionem aggrediuntur. 240
Antonini Cęſares Veſontione. 151
Antrum gelidum, ſeu Frigidaria. 20.22
Antrum Quingiacũ. 22.207
Antrum Sancæanum. 88.89
Aquæductus Biſont. 121, vſque ad 128
Arar fluuius. 17.136
Arcæ ſepulchrales. 91.92
Archiepiſcopo Biſõtino tres ſubſunt Epiſcopi. 26
Ariouiſtici prælij locus, 141, 142
Armillata cadauera. 94
Arcus Biſontinus Aureliano poſitus. 159
Arcus Biſontini partes explicantur. 169. vſque ad 179
Arcus inſcriptio reſtituta. 183
Arcus vnde dicti, & olim quales. 167.168
Arma veterum ænea. 169
Aſſociatiouis tractatus. 245
Attila diruit Veſontionem. 208.209.210
Attilæ nummi argentei. 210. 211
Auentia Dea. 156

LI Auen

Auenticum. 24
Aureliani triumphus, præclaræ leges & virtutes. 165.177.181.182
Auricella Vicus. 207

B

Baſilea. 24
Batualia. 118
Bellicenſis Epiſcopi ſedes antiqua. 23
Bibliothecæ Veſontinæ. 36. 37
Biſon argenteus incuſus. 44
Biſontes vbi naſcantur. 45. 46
Biſontis venatio. 47
Biſontini auxilium præbent Duci Burgund. 242
Biſontinorum priuilegia in Regno Franciæ. 247.248.
Biſontinorum tituli varij. 232
Biſontinorum variæ appellationes. 51
Brenni de Romanis victoria. 131.132.133
Burgundia fœcundiſſima. 13
Burgundia Franciæ compendium. ibid.
Burgundionum aurei nummi. 207
Burgũdionum inſignia. 200
Burgundionum irruptio, nomen, origo, migrationes. 192.193.194.195
Burgundiones vnde ſalſi primùm cognominati. 195
Burgundiones ſeptipedes & gigantes. 197.198

C

Cæſar occupat Veſontionem. 141
Campi Eleuſini. 77
Campus Bacchi. 74
Campus Carnæ. 70
Campus Martius. 34.69.118. 141
Campus Muſarum. 74
Campus Nardinus. 85
Campus Neptuni. 76
Campus Niger. 91
Campus Rotundus. 118
Campus Veſtæ. 73
Campus Vulcani. 72
Capenus Sequanus. 81
Capitolium. 66
Carolus Magnus dilexit Veſontionem. 212
Carolus IV Imp. confirmat iura vetera Biſont. 241
Carolus V Imp. confirmat priuilegia Biſont. 249
Caſati S. Stephani. 93
Caſtellum aquarum. 122. 123.
Caſticus Sequanorum Regis filius. 28.136
Caſtrum Argentarienſe. 25
Caſtrum Ebrodunenſe. ibidem.
Caſtrum montis roſarum diruitur.

ruitur. 236
Caſtrum Rauracenſe. 25
Caſtrum Vindonenſe, ibid.
Catamãtaledes Rex Sequanorum. 28.136
Celtæ Equites. 6
Celtica Gallia. 5
Cenotaphium Antonino & Vero Cæſſ. poſitum. 157
Chryſopolis olim dicta Veſontio. 51
Ciues, Sequani dicti pro Biſontinis. 29
Ciuitas Equeſtrium. 23.24
Ciuitas Heluetiorum. 24
Claudius Præfectus Veſontione. 107
Clypeus Biſontinorum. 115
Clypeus Sequanorum ibid.
Cochleæ terreſtres hirſutæ. 20
Cœli Biſontini temperies. 34
Collis Dianæ. 34.81.82
Collis Iſidis. 78
Colonia Iunia. 142
Collis Lucinæ. 81
Colonia Lugdunum. 25
Colonia Olino. 142
Colonia Raurica. 24.25
Columnæ montis Cœlij. 56. 57.
Comitia Biſontina. 110.111
Concilium Eponenſe. 154
Croſcus obſidet Veſontionem. 192
Crux S. Andreæ, vnde, vbi, qualis. 200.201.202.203. 204

D

DAnus fluuius. 118
Decmia Decmilla ciuis Sequana. 130
Denarij Romani. 67
Dianæ turris. 83
Dij veterum Gallorum. 54. 55
Diœceſis vox, antiqua. 10
Diuixtus ciuis Sequanus. 29
Domicelli qui. 95
Domus Ciuica. 34.35
Druides Gallorum ſacerdotes. 59
Dubis fluuius. 15.16.17.33
Dux Sequanici. 113

E

EBrodunum non procul ab vrbe *Pontarlie.* 25
Epamanduodurum. 152
Epitaphia vetera. 96
Epona Dea. 155
Eponenſe Concilium. 154
Epponina Sabini vxor. 149
Excoriatores. 143

F

FAmæ Typus. 179
Ferdinandus Imp. confirmat Iura Ciuium. 250
Fœdera Biſontinorum cum Heluetiis. 249

Fontes Biſontini. 128. 129 172. 173
Forum antiquum. 66
Fridericus I. Imp. curiam celebrat Veſontione. 215. 218
Fridericus IV. Imp. Veſontione. 243
Funerum ritus. 90

G

Galatæ. 6
Gallia triplex. 5
Gallicæ prouinciæ. 9
Gemmæ veteres ſignatoriæ. 67
Gigas caſtri Ducis Burgundiæ. 198
Gratianus Imp. Veſontione. 191
Gubernatio Veſontionis per Duum-viros. 110
Guillelmus de aſpero mõte pollicetur auxilium Biſontinis. 221

H

Hæreticorum irruptio, vulgò, *la ſurpriſe*. 250. 251. 252
Henrici II. Imper. nuptiæ Veſontione. 214
Henricus III. Imp. Veſontione. ibid.
Henricus VIII. Imp. ad Comitia vocat Biſontinos. 238
Hercules triumphalis. 171.
Horti Biſontini. 34
Hugo de Burgundiâ Biſontinis opem pollicetur. 234. 235
Hugo Dux Burgundiæ Biſontinis fœderatus. 224. 225

I

Idolium. 56
Illuſtres aliquot viri Ciuitate donati. 239
Ioannes Comes Cabilonenſis protector Veſont. 219
Ioannes Grauie Ciuis interfectus. 226
Iudæi Veſontione pulſi. 242
Iulianus Imp. Veſontione. 188

L

Lacus Antri. 208
Lætitia publica pro Mathiæ Imp. electione. 256
Lauſanenſis Epiſcopi ſedes antiqua. 24
Ligno fluuius. 18
Lucinus fluuius. ibid.
Ludouici Pij Legati apud Veſontionem. 213
Ludouicus XI. Rex Galliæ protector Veſontionis. 247

M

Magetobria. 139
Maioria Biſontina. 235

Mathildis Comitiſſa protectrix Veſontionis. 237
Maxima Sequanorum vndè dicta. 9
Maximilianus I. Veſontione. 248
Maximilianus II. confirmat Iura Biſontinorum. 250
Mediolanum vndè dictum. 48. 49
Mercurius Dux Viarum. 73
Metalla Burgundiæ. 14
Milites olim qui dicti. 93
Moneta Ledonenſis. 91
Moneta Vetus Biſõtina. 187
Mons Apollinis. 76
Mons Brigillæ. 71
Mons Charitum. 72
Mons Cœlius. 65
Mons Harudum. 140
Mons Iouis. 75
Mons Roſarum. 83
Mons Termini. 75
Mons Vandalorum. 76
Munacius Panſa Coſ. Veſontione. 107
Municipium Viſontium. 101

N

NAumachia. 121. 122
Nemauſus Deus. 156
Nemus Biſontinum. 79
Niuidunum. 23
Nummi Attilæ argentei. 210. 211
Nummi aurei Burgundici. 206. 207
Nummi Biſonte ſignati. 49
Nummi Celtici veteres. 67
Nummi honorarij. 112
Nummi nigri. 205
Nummi Serrati. 68. Vmbini & incuſi. ibid.
Nummi veteres legitimi. 67
Nummus *δανάκη*. 96

O

ODo Comes Niuernenſis Biſontinis fœderatus. 225
Odo Dux Burgũdiæ Biſontinos malè habet. 239
Officia Ciuitatis Biſont. 111
Olino Colonia. 142
Onnaſius Tribunus Veſontione. 107
Oppidum pro vrbe & Ciuitate. 28
Otho Comes Burgundiæ protector Veſontionis. 227. 228
Otho de Bernã Ciuis Biſont. interfectus. 226

P

PAgi Sequanorum vaſtati. 143
Palantæum. 77
Palatiũ Archiepiſcopale diruitur. 241. 243
Palatium Granuellanum. 35. 36
Pantheon. 56

 Patella

Patella antiqua. 153
Pauimenta teſſellata. 66. 67
Philippus Archidux Auſtriæ protector Veſontionis. 249
Philippus Audax, protector Veſontionis. 240
Philippus Bonus, protector Veſontionis. 242
Philippus II, protector Veſont. 250
Pons arcarum. 208
Pons Gallorum. 139
Porta nigra. 158. 211
Porta ſciſſa. 121
Porta Troiæ. 119
Portæ Veſontionis quinque. 34
Portus Iani. 70
Portus Lucini 25
Præſes maximæ Sequanorum. 106
Præſides Galliarum vndecim. ibid.
Prata Pandæ vel Pandoræ. 78
Prouinciæ Sequanorum fines. 108

R

Regalia Biſontina. 235
Reliquiæ in Biſontinis eccleſiis. 37
Rudolphi I Imp. Epiſtolæ. 229
Ruffus Veſontionem obſidet. 143

S

Salinæ Sequanorum. 20. 21. 27. 195
Scholæ Biſontinæ. 36. 101
Següinus Rex Veſontione. 42. 130. 131
Septa ſacra. 66
Sequani Æduorum hoſtes. 135
Sequanicæ Prouinciæ amplitudo. 10. 12. 13
Sequani à Sequanâ fonte. 11. 41.
Sequani ciues dicti pro Biſontinis. 29
Sequani Lingones vincunt. 148.
Sequani pro Veſontione vſurpati. 28
Sequanica veſtis. 10
Sequanicus ager optimus. 13
Sequanicus Equitatus. 6
Sequanorum clades ſub Vitellio. 148
Serpens Apollini ſacer. 175
Sigilla vetera Biſontina. 58
Sigiſmundus Imp. confirmat Iura Biſontinorum. 242
Simbolum Veſontionis. 32
Stirpes Sequanicæ. 14

T

Templa Biſontina. 37
Tetricus victus. 164. 170
Templorũ veterũ ruinæ 66

Teuto

Teutonum Reges capti. 133
Thermæ Luxouianæ. 19.21
Titianus magiſter. 102
Torneamēta vnde dicta. 120
Torques Equitū propriæ. 6
Tremblecurij excurſio in Burgundiam. 253

V

Vaſa varia. 97
Venceſlaus Imp. cōfirmat Iura Veſont. 241
Venus victrix. 178
Veſontio à Biſonte dicta. 43. 44
Veſontionis deſcriptio recētioribus. 31.32
Veſontionis forma. 33
Veſontionis nomina varia. 50
Veſontio, quando, & à quibus condita. 41.42.43
Veſontio Sequanorum Metropolis. 23
Veſontionis ſtatus varij. 211
Veſontionis trāſitus ad Imperium Germanicum. 213
Veſta vnde dicta. 177
Veſulium expugnatur. 253
Veteres virgæ. 140
Vicecomitatus Biſont. 235
Victoriæ alatæ. 170
Victoria pileata. 171
Vicus Caſtoris. 70
Vicus Luæ. 72
Viculus Rheæ. 71
Vindex vincitur apud Veſontionem. 143
Viridaria Biſontina. 34
Vites Sequanicæ. 75

Z

Zenobia Regina victa. 163.164.169

FINIS INDICIS I. PARTIS.

A01 1613629